JUGUM GRAVE
SUPER
OMNES FILIOS
ADAM,
E
SS. PATRUM VERBIS FORMATUM
PER

R. P. ADALBERTUM
TYLKOWSKI,
Societatis JESU Theologum.

Post Editionem secundam in Polonia.
Secunda in Germania.
CUM FACULTATE SUPERIORUM.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus Matthiæ Wolff, Bibliopolæ. 1723.

REVERENDISSIMO
PRÆNOBILI
AC
AMPLISSIMO DOMINO
DOMINO
JOANNI
ADAMO
EPISCOPO DIOCLENSI,
Ecclesiæ Cathed. August. Canonico Capitulari, Reverendissimi ac Celsissimi Principis ac Episcopi Eystadiensis Consil. Intimo, nec non in Pontificalibus ac Spiritualibus Vicario Generali, Reverendiss. Dicasterii Præsidi ac Præposito ad S. Nicolaum Spalthæ &c.

DOMINO SUO PATRONO PLURIMUM GRATIOSO.

REVERENDISSIME
PRÆNOBILIS
AC
AMPLISSIME DOMINE,

Domine plurimùm Gratiose.

QUemadmodum ingens diſcrimen eſt primum inter & ſecundum Adamum, ita palpabilis eſt diverſitas inter illius & hujus jugum. Primus Adam *de terra terrenus* uti vitam in omnem ſuam posteritatem

tatem invexit, ita mortalem ſuum pulverem eidem communicavit, in quem poſt perbrevem vitalis auræ uſum eſſet deſitura, ut eodem planè jure morientium, quo viventium Pater appellaretur. Alter autem Adam *de cœlo cœleſtis* ita mortem per peccatum in genus humanum ſævientem devicit, ut mortuos ex profundiſsima iniquitatum abyſſo ſuſcitatos vita immortali beaverit. Ex hac utriusque Adami diverſitate ortum eſt jugum ex omni parte diverſiſsi-

mum. Nempe *jugum grave super omnes filios Adam* imposuit Adam primus, jugum scilicet peccati, & ex peccato pullulantium affectionum sævissimam rebellionem, quam Gentium Apostolus deplorat Rom. c. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ &c.* ita ut major hoc jugum portantium pars gravissimo pondere ad usque infelicis æternitatis voraginem se deprimi patiatur. Contrà verò ait alter Adam, *jugum meum suave est, & onus meum leve.*

leve. Matth. c. 11. Onere enim peccatorum immanissimo in suos humeros suscepto, id, quod redemptis asseclis suis portandum relinquit, ita suæ gratiæ auxilio leve effecit, ut nemo jure queri possit, se supra vires gravari; quin imò ut jugum hoc tolerabilis foret, Vicarios constituit, qui succollantibus humeris in partem laboris venirent. Hos inter demississimo affectu veneror Reverendissimam Prænobilem & Amplissimam Dominationem Vestram, quæ Dio-

clensium Infulâ & Pedo illustris, Vicariam Generalem in Diœcesi Eustadiana potestatem habet, quod idem est ac omnium subditorum fidelium onus Pastorali sollicitudine gestat, & velut alter Adam quàm levissimum reddit. Felices Aurealenses! qui Romanæ sapientiæ robur in suam usque patriam attraxerunt, quo nixi omnis statûs homines ad currendam Christianæ vitæ semitam roborantur. Felices Parœciarum Curiones! qui ad hoc consiliorum & instructionum Palladi-

ladium in emergentibus oviculårum caſibus refugere poſſunt & adjuvari. Felices etiam Auguſtanæ Eccleſiæ Cathedralis Proceres! quos inter à Summo Chriſti Vicario adlectus, *columna facta es in Domo DEI mei* ad ornamentum Nobiliſſimi Cleri & ſacri oneris levamen. Sed & me, Clientum utut infimum, felicem! qui ad hujusce Gratioſi *Adami* conſecratas manus litterarium hoc *Jugum* meum poſſum deponere, ſpe fretus optima, Bibliopolium meum, quod modô in cu-

nis

nis eſt, magna ſumptuum incrementa, quamprimum ad hoc Scientiarum omnium Emporium conatus mei litterarii nacti fuerint acceſſum. Id quod ſubmiſsiſsimis precibus efflagito.

Reverendiſſimæ
Prænobili & Ampliſſimæ Dominationi Veſtræ

Auguſtæ die 20. Aug.
1720.

devotiſſimus ſervus

Matthias Wolff, Bibliopola.



PRÆFATIO.


PRæclarè ad noſtrum propoſitum S. Gregorius M. in Cat. S. Thom. Aſperum jugum & durum ſervitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum omnia fugiunt, quæ priùs mentem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſtea pavore amiſſionis premunt &c. Unde patet, jugum peccatoris eſſe quidem grave, nihilominus tamen à peccatore amari, ſed amore prorſus deteſtabili & æternùm deplorando.

Quare

Quare operæ pretium duximus, omnium ſtatuum & conditionum juga diſcutere, & ſimul rationem oſtendere, quâ patienter tolerari & cum merito poſſint. Pleraque ſunt ſenſa SS. Patrum, ad eum finem adducta, & in certos paragraphos congeſta, ut legentibus tractatum hunc pateat, quodnam ſanctiſſimorum Virorum de jugo peccati, peccatorum miſeriâ, & modo hoc jugum ferendi judicium ſit. O peccatorem ex omni parte miſerrimum! ſi jugum peccati graviſſimum in hoc vitæ curriculo ferre, & in æternum continuare debebit, hìc & ibi infelix. Conſidera has veritates, Lector Chriſtiane, & laborem in ferendo onere tibi patere ſublevari.

Vale.

CA-



CAPUT I.

GRAVE JUGUM SUPER SECULARES.

I. *Quia salus illorum in lubrico.*



AGgnovit hoc *Sanctus Cyprianus* cùm dixit: Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta est victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Atqui juxta Evangelium, ***quidquid in mundo est, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ,*** aut est vitæ, aut oculorum superbia, aut concupiscentia carnis, adeoque totus est in maligno mundus.

II. In laqueos incidunt diaboli.

Et cùm in ſeculo, qui eſt verè in ſeculo, nemo ſit, quin cupiat fieri dives, qui verò divites fieri volunt, incidunt in laqueos diaboli, juxta S. Paulum, ſimiliterque cupientes fieri divites, non item ſunt divites coram DEO, de illis currit illud Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis, faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Hinc *S. Greg. 4. Moral. 3.* dixit: Rarum valde eſt, ut qui aurum poſſident, ad requiem tendant. Et fortaſsè huc reſpexit *Coſmas*, quando Scriptori Prati Spiritualis dixit: Quid poteſt ſecularis homo virtutis adipiſci?

III. In medio malorum vivunt.

Quantum deinde periculum ſalutis æternæ ſubeant ſeculares ex occaſione eorum, cum quibus vivunt, expreſſit *S. Bernard. Serm. 3. de Circumciſ.* Nam in mundo alii venenatis perſuaſionibus, alii undique exemplis pejoribus ad peccatum alli-

alliciunt, alii adulationibus in vanam gloriam, alii detractionibus in impatientiam dejiciunt. Jam verò dixit *S. Hieronymus*: Proclivis est imitatio malorum, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. *Osea 4.* de mundo dictum: *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra, maledictum, & mendacium, & furtum & adulterium inundaverunt eam, & sanguis sanguinem tetigit.* Unde *S. August. in Psal. 141.* Scito quòd in medio laqueorum pertransis. *S. Paulinus Epist. 2.* Tota hujus mundi figura diabolicis prætenta est retibus. *S. Ambros. in Luc. 4.* Multi laquei, quacúnque ingredimur. Ac tandem concludit *S. Aug. Hom. 38. in Joan.* Si delectat te mundus, semper vis esse immundus; quem delectat habitare Sodomis, non evadet incendium; quem inter Ægyptios, non evadet servitutem. Ipsi Viri religiosi si multùm secularibus immisceantur, in periculum salutis veniunt, quid verò ipsi seculares? Deplorat hoc *B. Laurent. Justin. de perfect. Monast. cap. 22.* O quot temporibus nostris fue-

runt, qui tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex conversatione secularium tepefacti, ad pristina opera secularis vitæ miserabiliter redierunt. Addit *ibid.* Qui cum discolis conversari voluerit, prout dubio fiet eorum similis. Quocirca arguit *S. Chrysost. Orat. 2. de Providentia*: Si pestilentem locum & contagionis plenum videris, consuetudinem illius loci fugis, quamvis sexcenties ad domicilium illud traharis, & corporis valetudinem cæteris omnibus rebus anteponis: ubi verò opinionibus pestilentibus quidam complentur, ac ægritudinibus, quæ non modò corpus corrumpunt, sed animam quoque perimunt, ac deteriorem viliorèmque reddunt, non omninò refers te? Et tamen *teste S. Basilio Hom. 9.* sicut in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporis morbum injicit: sic in prava cònsuetudine ac conversatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi non statim incommodum sentiatur.

IV. *Aliquando pro suis meritis in hac vita recipiunt mercedem.*

Dictum id diviti: *Recepisti bona in vita tua*, & quænam? *Induebatur bysso & purpurâ, epulabatur splendide.* Solutum tibi est per honores, famam & ejusmodi, in altera vita meræ manserunt pœnæ.

V. *A domesticis habent salutis periculum.*

Inimici hominis domestici ejus, ait Scriptura. Concedendum sæpè iis, ne offendas; deserenda ea quæ sunt DEI, imò ipse DEUS, ne te illi deserant; avaritiæ studendum, ut illi habeant lautè; salus negligenda, ut placeas. *S. Chrysost. hom. 57. ad Pop.* Patrem discipulus sepelire voluit, nec id Christus permisit, quid ita? quoniam acer instat diabolus, ut se in animum insinuet.

VI. *Raro habent animæ Directorem.*

Jam verò cùm *vita nostra sit militia*, in qua pugnandum cum infernali exer-

citu, Duce ſpirituali omninò egemus, ut expreſſit *S. Joannes Climacus gr. 4.* Qui ſine patris ſpiritualis auxilio contra ſpiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur. At ſecularis homo quandonam & quotus illum Ducem habet! Militandum tamen eſt. Notandum quod de bonis etiam operibus docet *S. Bernard. Serm. 3. de S. Andrea*: Quod ſine licentia patris ſpiriritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Imò *S. Baſilius Serm. de abdic. rerum* aſſerit: Quidquid eo inſciente facis, id furtum & ſacrilegium eſt, tibíque exitium, non utilitatem ullam apportat, eſto, id tuum bonum judices.

VII. Ex vanitate habent noxam, cui ferè coguntur ſervire.

Jam quid de veſtitu ipſo, quid de cultura corporis, riſu, & amœnitatibus mundi noxæ attrahant ſeculares, audiant, quid de Apoſtata Torquato, alloquendo judicem, dixerit *S. Tiburt. Mart.* Credisne, Vir Illuſtriſſime, hunc eſſe Chriſtianum, qui in ſuo lenocinio molien-

liendo capitis fimbrias admittit, qui tonsorem diligit, qui ſcapulas molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo nixu diſtendit, qui fœminas curioſiùs intuetur? Nunquid tales peſtes dignatus eſt Chriſtus habere ſervos ſuos? Et licet communem veſtitum Chriſtiani cum Gentilibus deferant, ab illis tamen quâdam modeſtiâ diſtingui debent, ut olim *Minutius Felix in Octavio* dixit: Nos non notaculo corporis, ſed innocentiæ, ac modeſtiæ ſigno facilè diſtinguimur. *B. Antiochus Homil. 95.* Ridere ſolutiùs neutiquam illis permiſſum eſt, qui ſunt germani Chriſtiani.

VIII. Et ipſi ad magnam ſanctimoniam obligantur.

S. Chryſoſt. Hom. 24. in Acta. Neſcis, *Chriſtiane*, quòd cum Angelis ſtas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis; & ſtas ridens? & non eſſet mirum, ſi fulmen demitteretur non ſolùm in illos, ſed etiam in nos. Digna enim fulmine ſunt hæc. Adeſt Rex, & inſpectat exercitus *Angelicus*, & tu in illorum conſpectu ſtas

ac rides, vel ridentem negligis? Nonne ut damnoſos, ut fures, ut corruptos, & pernicioſos tales, & innumeris malis plenos ab Eccleſia exigi oportebat? Non ſufficit nobis, quòd ipsâ mente ſumus ignavi, nec quòd orantes aliò evagamur, ſed etiam riſum afferimus. Unde teſtificor vobis qui ſancti eſtis, quod judicium vobis erit ac condemnatio, ſi quis videns inordinatè viventem, maximè illo tempore, (*Sacrificii ſcilicet*,) non admonuerit, nec corripuerit. Hoc eſt plus quám oráſſe. Dimitte preces, & illum corripe, ita & illi proderis, & tu lucrum habebis. Tanti facit hic Pater minimum Chriſtiani ſecularis defectum. Sed neque aliter ſenſit *B. Petrus Damian. l. 5. Epiſt. 2.* Cùm Veritas dicat: Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis: quid in tremendo judicio dicturi ſunt, qui non ſolùm ipſi rident, ſed inſuper ſcurrilia proferentes, riſum audientibus violenter extorquent. Omnibus dictum: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter. S. Ambroſ. Serm. 20. in Pſalm. 118.* Qui Evangelii præcepta audit & non facit, negat Chriſtum; etſi verbo fateatur, mori-

motibus negat. *Bernard. Serm. in Cantic.* Non erit unquam Spiritui DEI pars cum mundi vanitate, cùm veritatis ſit Spiritus. *S. Macarius* dixit: Si quis ſeipſum dedat curis, vel ambitionibus, aut dignitatibus, humanóſque curet honores, & hæc inquirat, animáque ejus cogitationibus terrenis permiſceatur & conſundatur, aut alicui rei ad hoc ſeculum pertinenti ſit devinctus, deſiderétque ejuſmodi anima tranſilire, vitare, atque expellere affectionum turbas, in quibus tenentur à poteſtatibus iniquis, minimè poteſt: proptereáque diligit & facit voluntatem tenebrarum, in ſeculo verò quotus eſt qui non his, aut horum periculo exiſtat? at vero Eccl. 3. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

IX. Obligantur ad mundum odio habendum.

Difficulter homines in ſeculo conſtituti & illud præceptum implere poſſunt: *Nolite diligere mundum.* Et tamen verum eſt, quod dixit *S. Gregor. lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.* Niſi ſeculum amare deſiſti-

ſiſtimus, DEO per amorem vivere non valemus. Iſtis dictum eſt *Luc. 21. Attendite, ne corda veſtra graventur in crapula, aut curis hujus vitæ*, ut legit idem *S. Paſtor. p. 1. cap. 7. ne fortè ſuperveniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Et *2. Tim. 2.* dictum: *Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis.* Itaque qui implicant ſe ejuſmodi negotiis, Deo non militant. Nemo verò coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.

X. Diſcrimen habent tam à bono quàm à malo ſucceſſu.

Jam non ſuccedant negotia ſecularia, quanta afflictio ſpiritûs, & quanta ex tribulatione pericula? ſuccedant verò, fortè occinetur tibi: *Recepiſti bona in vita tua? S. Greg. Homil. 4. in Evang.* Iſta, fratres mei, ſententia pavore potiùs indiget, quàm expoſitione. Ecce, dum dicitur *Recepiſti*, indicatur & dives iſte aliquid boni habuiſſe, ex quo in hac vita reciperet. Utrùmque hoc *Prov. 1.* ex-

expressum: *Aversio populorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos.*

XI. Mundus decipit.

Sed utut mundus egerit nobiscum, semper est infidus. *S. Chrysost. Tom.2. Hom. 13*: ita habet de illo: Multa nobis sæpissimè pollicetur, non ut det, sed ut accipiat. Promittit plurima de rapinis, ut auferat regnum & justitiam; thesauros pollicetur in terra, ut nobis cœlestium faciat jacturam; vult nos in hoc seculo ditare, ne divites simus in futuro.

XII. Mundus multis afficit molestiis.

Tertullianus ad Martyres, postquam eos ingressos carcerem solatus est, ita de mundo loquitur: Si cogitemus, ipsum mundum magis carcerem esse, exivisse vos è carcere magis quàm introïsse in carcerem intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excœcant; graviores inducit catenas, quæ ipsas animas constringant; pejores im-

munditias expirat. Etsi autem ille non sit ex Sanctis, maximæ tamen est auctoritatis. *Bernard.* autem *Serm.1. de Altit. & Bass. cordis*: Quanto, inquit, pecuniæ desiderio afficitur avarus, quanto gloriæ appetitu ambitiosus exæstuat, quàm violenter denique quemque sua trahit voluptas, quis explicet? Videas certè eos, quidquid adepti sunt, parvi pendere, non attendere, quanto labore & desiderio ea vix tandem consequi potuêre; quoniam vilescunt eis omnia præ desiderio minoris fortè rei, quam cœperint alteri invidere. Addit & *B. Laur. Justin. lib. de Obedient. cap. 1.* Sibi ipsis minimè parcentes se exponunt periculis, se laboribus macerant, séque, quod est formidolosius, gehennæ faciunt filios; ut humanis attollantur honoribus, cæteros præcellant laudibus, momentaneis fruantur voluptatibus, atque terrenis ditescant opibus.

XIII. In seculo pauci Sancti.

Paucitatem justorum in seculo ita adnotat *S. Macarius Hom. 12.* Ecce mundus

dus universus obambulabat in terra & negotiatur, sed nihil cogitat quod Deo sit gratum, tanquam si essent diversoria & lupanaria, aut loca similia, in quibus multa inordinatè & intemperanter committi solenr.

XIV. *Pauci salvantur.*

Unde *S.Chrysostomus* è secularium plurimis millibus vix aliquos salvari asseruit. Sic enim suum populum Antiochenum *homil. 40.* alloquitur: Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen. Non possum in tot millibus centum inveniri qui salventur, quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor? filii curam gerit nemo, imò zelum habet nemo, ut senem respiciens imitetur, exemplaria deleta sunt, propterea neque juvenes laudabiles evadunt. S. *Aug. à Guil. Pipin. Serm. 2. in Dom. Septuag.* in hæc verba adducitur: Arbitror tres mundi partes fore damnandas, eò quòd in omnes regnet infidelitas,

de

de quarta autem quid dicam? nisi quod 1. *Joan.* 5. scribitur: *Totus mundus in maligno positus est. S. Antonius de Padua Dom. 3. Adv. in illud Isaiæ cap. 19.* Mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes in flumen mittentes hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent, confundentur omnes, qui operantur linum, pectentes & texentes subtilia. Ita Concionator. Piscatores sunt hujus mundi amatores; mittentes hamum, mercatores falsi; expandentes rete sunt maledicti usurarii; operantur linum Legistæ, Decretistæ, & Advocati. Hi omnes in fine vitæ suæ, cùm jam non poterunt villicare, lugebunt, quia divitiis, quas tam sollicitè acquisierunt, tam ardenter amaverunt, ita miserrimè denudantur; marcescent, quia eorum animæ à corpore egressæ dæmonibus tradentur æternaliter puniendæ.

Ingemiscit *Salvianus*, & Ecclesiam in hunc modum liberè affatur: Nescio, quomodo repugnante contra teipsam tuâ felicitate, quantum tibi auctum est populorum, tantum penè vitiorum auctum sit.

Quan-

Quantùm tibi copiæ accessit, tantùm disciplinæ recessit, & prosperitas venit quæstuum cum magno fœnore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis fides imminuta est, & crescentibus filiis suis mater ægrotat. Diffudisti quidem, Ecclesia, per omnem mundum religiosi nominis membra, religionis vim non habentia, ac sic cœpisti turbis esse opulens, fide pauper; quantò ditior multitudine, tantò egentiores devotione; latior corpore, angustior mente, novóque penè & inaudito genere in te major es & minor, crescens simul & decrescens.

XV. *Et pueri subjacent his periculis.*

Quid de pueris sentiendùm docet *S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 18.* Etsi omnes baptisatos infantes, atque in eadem infantia morientes regnum cœleste ingredi credendum est; omnes tamen parvulos, qui scilicet jam loqui possunt, regna cœlestia ingredi credendum non est; quia nonnullis parvulis ejusdem regni cœle-

stis

ſtis aditus à parentibus clauditur, ſi malè nutriantur. Et in exemplum adducit quinquennem puerum, quem dæmones ad ſupplicia rapuerunt.

XVI. Quia qui ſunt in conjugio ſunt miſeri.

Deſcribit hoc jugum, quatenus premit mulierem, *S. Chryſoſt. Orat. de S. Thecla* in hunc modum: ſuſpiciones falſas ſuſtinere, procedendi ſæpè utiliter in publicum poteſtate privari, de alimentis inquirere, ornatam zelotypiæ obnoxiam fieri, deſpicatui duci, priusquàm pepererit, quaſi quæ nondum uxor facta ſit, ubi pepererit, ob pignora in crimina incurrere. Partu edita eſt fœmina, quòd natus non ſit maſculus, tetricum maritus vultum gerit. Adjectus eſt maſculus, & formoſus non eſt. Eleganti formâ eſt, tanquam de pulchro acerbior cura inceſſit. Depulſus eſt à lacte, rurſus anxietas educationis ſuccedit. Cùm ſanus fuerit, metus eſt ne ægrotet. Cùm ægrotaverit, formido eſt ne moriatur. Cùm mortuus fuerit, metus ne deinceps tanquam

quam prole carens contemnatur. Cùm mortuus non fuerit, ùt de vivente gravior sollicitudo incumbit, unde ad institutionem sumptus suppeditabuntur? unde conjugalis fœderis apparatus? unde vestimentorum decor? unde famulorum distributio &c. *S. Basilius.* Quæ mortali connubio conjuncta est, ad suam ipsius curam, alterâ viri adjunctâ, geminam in una anima ex conjuncto sibi corpore sollicitudinem necessariò sustinet. Nec jam unius tantùm corporis laborat gratiâ, sed in una anima, & ad suum, & ad viri corpus curandum jugiter intenta dividitur. Ubi verò filios parturire, atque in lucem edere cœperit, per unumquemque nascentem animo scinditur, & præsentibus tristibus nascituri cura semper adjicitur. Ac, siquidem bonum virum blandúmque nacta fuerit, perpetuò, ne moriatur, metu viduitatis incommoda cruciatúsque jam sustinet, diram quandam & immitem curam, & præsente illo & absente, propter insperatos casus animo indesinenter excipiens. Sin verò contrà duro & immiti

miti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus eſt. Et cùm pudicitiæ ratione neutrum queat eligere, id eſt, nec viri mortem propter viduitatis anguſtias, nec vitam ob moleſtiam incommodúmque convictûs, ancipiti atque inevitabili malo acerrimísque doloribus ſemper atteritur. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam illi frugem evaſerunt, & majores ex illorum abſentia dolores jugiter tolerat, quàm parturiens tulerat, aut malos evaſiſſe conſiderat, & majus ex ea procreatione liberorum, quàm ſi permanſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet. Quod ſi relicta vidua pupillos enutriat filios, percepto ex viri morte mœrore, ſemper in lacrymis, in gemitu, in ſollicitudine educandorum degens, nullum præterito malo ſolatium invenit. Præterea & propinquis, & famulis, & filiorum curatoribus, ipſiſque poſtremò etiam filiis, ubi virilitatis annos attigerint, cunctíſque omninò ſe vexare volentibus ad prædam miſerabiliter expoſita, doloris luctúſque tragœdiam vitam ſuam omnium ingeret oculis. Et quid plura

plura persequi necesse est. Dominum sibi cum dote infelix coëmens virum, ancilla pro libera efficitur, brevissimæque voluptatis gratiâ naturali libertate se privans, januam sibi ineffabilium dolorum perpetuíque mœroris per hujusmodi connubium aperit. Hoc *S. Basilius lib. de Virginitate.* Sed de jugo mariti plurima disputat *Petrus Blesensis Epist. 19.* ex quo ista: Non est sine plurima incommoditate copula conjugalis, vixque posse obtineri creditur pax animi cum uxore. Perpetua inest sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium importunitas. Multa idem sunt, quæ usibus matronarum necessaria, pretiosæ vestes, âurum, gemmæ sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ & esseda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ fiunt conquestiones. Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in contemptu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amo-

amorem ſuum odium ſuſpicatur. Pauperem alere difficile eſt, divitem ferre tormentum. *S. Chryſoſt. Hom. 32.* Mulier bona difficilè invenitur, proteſtante Salomone *Eccl. 7.* Inter mille bonum virum invenies, in omnibus autem his mulierem non invenies. Quid autem eſt aliud mulier, niſi amicitiæ inimica? ineffugibilis pœna? malum neceſſarium? naturalis tentatio? deſiderabilis calamitas? domeſticum periculum? delectabile detrimentum? mali natura boni colore depicta? Dimittere illam pœna eſt, tenere verò tormentum. Quid, quòd mulieri ita indiſſociabiliter conjungitur, ſive bonæ, ſive malæ, ut non niſi funere alterius diſſolvi poſſit connexio? Adde ſterilitatem alterutrius, præſertim cùm bona ſunt, nec ſit qui ſuccedat hæres, Si verò proles multa, nec ſuppetat educatio, quale tormentum! Quid ſi probroſa proles & parentibus acerba, cum aliquo familiæ dedecore, quotidiani hîc parentibus cruciatus. Si & illud contingat, ut alteruter conjugum violet fidem maritalem, quàm id fit ſexcentis motibus

intolerabilius! Imò si etiam suspicio sola adulterii mentem occupat, acerba illi omnis vita & minimè vitalis redditur, indomita enim zelotypiæ flamma morbum intolerabilem in animum inducit, cui non aliter mederi quàm morte adulteri aut stupratoris possunt.

XVII. *Divites in assiduis angustiis.*

Quod ita *Petrus Blesensis Epist. 91.* describit: In habitatione terrena nihil est nisi labor & dolor, & quædam imago miseriæ infernalis. In vita & operibus tuis tota ferè facies inferni depingitur. Nec enim deest tibi unda Tantali, Titii jecur, Ixionis rota, urna Danaidum, saxum Sysiphi, dum inter divitias esuris, dum sollicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum in saccum pertusum congregas, dum congregando divitias labore continuo & supervacuo te affligis. In idem recidit quod habet *S. Greg. lib. 15. Moral. cap. 11.* Mens avari, quæ priùs ex abundantia requiem quæsierat, post ad custodiam

diam graviùs laborabit. Priùs namque dolorem habuit in ipſa ſuæ concupiſcentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret. At poſtquam acquiſitis rebus pervenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum ſollicito timore cuſtodiat, quod cum gravi labore meminit acquiſitum. Hinc inde inſidiatores metuit, atque ſe hoc perpeti, quod ipſe fecit aliis, pertimeſcit, formidat potentiorem alterum, ne hunc ſuſtineat violentum, pauperem verò, cùm concupiſcit, ſuſpicatur furem. Ipſa quoque, quæ congeſta ſunt, curat magnoperè, ne ex naturæ propriæ defectu per negligentiam conſumantur. In his itaque omnibus, quia timor ipſe pœna eſt, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Poſt hoc quoque ad gehennam ducitur, & æternis cruciatibus mancipatur. *Et addit*: Immolat avarus hominum corpora, quos expilavit, quos in fame reliquit per rapinas; immolat animas, quia hanc rapinam maledicta, convitia, indignationes conſecutæ. Atque ita tot

ani-

animarum est reus. At verò quàm suo malo irrevocabiliter inhæreat, spemque reditûs ad bonum excludat, dicit *S. Aug. Serm. 50. de SS.* Avarus dicit in corde suo: Quis nos separabit à cupiditate auri? tribulatio, an fames, an angustia, an persecutio? &c. Tribulantur enim avari, angustias patiuntur, famem, nuditatem, frigora; in tempestatibus sunt, in procellis, dum spoliantur & occiduntur propter aurum, dum pericula maris sustinent.

CAPUT II.

GRAVE JUGUM SUPER ECCLESIASTICOS.

EAdem ferè habent pericula Ecclesiastici Viri, qui degunt extra claustra, quæ seculares; neque habent remedia concupiscentiæ, uti Laici in matrimonio, quod *S. Cypr. de singul. Cleric.* his deploravit: O quanti & quales Episcopi & Cle-

& Clerici, simul & Laici post confessionum, id est, post martyrii, victoriarumque calcata certamina, & signa, (id est miracula) vel mirabilia usquequaque monstrata noscuntur cum his omnibus naufragâsse, cùm volunt in navi fragili navigare; quia juxta Asceticos Religiosi cœlum petunt per pontem, Clerici seculares navi, Laici natatu. Sed detur, quòd etiam superent pericula, à carne tamen non levia illis alia imminent.

I. Quia reditus habent onerosos.

Testatur id *S. Bern. Serm. 23. in Cantic.* Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debebant, minimè contenti sint, & superflua, quibus egeni alerentur, impiè sacrilegéque sibi retineant, atque in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere minimè vereantur, duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutantur. Simillima ante S. Bernardum

nardum dixit *S. Gregorius Magnus.* Ex his credo duobus capitibus positis horribilem format sententiam, ubi de Curatis in dignitate constitutis loquitur. *S. Chrys. Hom. 3. in Acta.* Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures qui pereant non tam propriis peccatis, quàm alienis, quæ non curaverunt.

Quid ita? Audi *Bernardum Serm. ad Clerum Rem.* Quod sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos & lanceam, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant.

II. Ad magnam sanctitatem obligantur.

Quantæ verò sanctitatis rei sint, docet *Idem lib. 3. de Sacerd.* Necesse est sic Sacerdotem esse purum, ùt si in cœlis ipsis collocatus inter cœlestes illas Virtutes medius staret. Imò tenentur quodammodò B. Virginis, atque ipsius Christi Domini sanctitatem æmulari; cùm & ipsi Christum quodammodo pariant, & in

persona Christum operentur. Inde *S. Greg. Nazian. Orat. 1. n. 125.* dixit: Sacerdos est Deus, & alios efficit Deos. Quocirca monuit *B. Laur. Iust. Serm. de Corp. Christi*: Accedat Sacerdos ad altaris tribunal, ùt Christus, assistat, ùt Angelus, ministret, ùt Sanctus, populorum offerat vota, ùt Pontifex, interpellet pro pace, ùt mediator, pro se autem exoret, ùt homo. *S. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 206.* Tantum interesse debet inter Sacerdotem & quemlibet probum virum, quantum inter cœlum & terram discriminis est. Ad hanc verò sanctitatem vix majora habent adjumenta quàm Laici, certè eadem pericula ex conversatione, ex administratione œconomiæ, ex vanitate & ambitu, & aliis, de quibus *S. Paulinus epist. de gazophylac.* Ubique prætenti laquei, ubique stricti sunt laquei; inter insidias & pugnas vita transigitur, & per ignes doloso cineri suppositos ambulamus. Ecce quàm facilis lapsus! sed & quàm gravis!

Habet etiam Sacerdos ex eo specialem obligationem, ùt sanctè vivat, quia sicut Aaron *Num. 16.* debet se pro populo op-

opponere iræ Dei, quomodò verò opponet, si ipse illam provocaverit? Audiant *S. Gregor. lib. 4. epist. 32. in dist. 13. ad Mauritium Imp.* Quæ virtus humana, quod carnei robur brachii contra vestri Christianissimi culmen Imperii irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret concors Sacerdotum mens Redemptorem suum linguâ pro vobis, atque ut oportebat meritis exorare? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tantâ crudelitate grassaretur, nisi vita nostra, qui Sacerdotes nominamur, & non sumus, à pravissimis gravaretur operibus? *Et post pauca exclamat:* Culpa nostra hostium gladios exacuit, quæ Reipubl. vires gravat. Sacerdoti, *ait Chrysost. de Sacerdot. lib. 6. cap. 3.* concreditus est mundus, ut ille bella oratione extinguat, pacem & felicem statum comparet. Obligatur Sacerdos ad magnas virtutes, quia est ordinatus, ut Deo nostro magno sacrificium offerat. Quod officium quantum sit, explicat *S. Bern. Serm. ad Pastor. in Synodo* dum Sacerdotes in hunc modum alloquitur: Prætulit vos Deus

Regibus & Imperatoribus, prætulit Ordinem veſtrum omnibus Ordinibus, imò prætulit vos Angelis & Archangelis, Thronis & Dominationibus: ſicut enim non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem; ſic non Angelis, ſed hominibus, idque ſolis Sacerdotibus Dominici corporis & ſanguinis commiſit diſpenſationem. Quod ſi ita eſt, ſequitur certè illud, quod ex dignitate iſta infert *S. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerd. cap. 3.* Quantum à Sacerdote exigemus integritatem, quantam religionem? Conſidera enim, quales manus hæc adminiſtrantes eſſe oporteat? qualem linguam, quæ verba illa effundat? quâ denique re non puriorem, ſanctioremque conveniat eſſe animam, quæ tantum illum tamque dignum ſpiritum receperit? Per id tempus & Angeli Sacerdoti adſtant, & cœleſtium Poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt. Sacrificium offerunt, quod cum primò in cruce oblatum eſt, ſol obſcuratus, monumenta aperta,

ta, scissæ sunt petræ, terra mugiit, aër obtenebratus, natura tota conturbata est: sacrificium offerunt extemæ obedientiæ, humilitatis, charitatis, etiam inimicorum; an ipsi ambire opes, odisse quempiam, superbire, refragari possunt? Hostia est sine macula, immaculatos requirit. (*Chrysost. Hom.3. in Epist. ad Eph.* Regem non auderes osculari, si os tuum gravè oleret, & Regem cœlorum impudens oscularis, animâ tuâ vitiis olente. In cæterorum administratione Sacramentorum Sacerdos canalis est, per quem sanguis Christi in alios descendit.

III. Peccata Sacerdotum graviora.

S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 121. Non est idem Laicum peccare quod Sacerdotem; idque ex lege perspicuè constat *Levitic.4* Tantum enim ea, *id est lex*, pro Sacerdote peccante sacrificium offerri præcipit, quantum pro universa plebe. Quod si par esset peccatum, idem utique sacrificium minime indixisset. Majus porro peccatum efficitur non ob natu-

ram, ſed ob perpetrantis dignitatem. *Et lib. 2. Epiſt. 208.* Conſentaneum eſt, ut qui honore ac dignitate ſuperiores ſunt, hi quoque, ſi peccent, gravioribus ſuppliciis mulctentur. *S. Salvian. lib. 4. de gubern.* Ex hoc ipſo Sacerdotes deteriores ſumus, ſi meliores non ſumus, qui meliores eſſe deberemus. Criminoſior enim culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus, honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque major invidia. Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus; ſublimior eſt prærogativa, major eſt culpa.

Jam ſi Sacerdos eſt quoddam vas DEO ſacrum, perſona ſacra, videtur quodvis peccatum aliquomodò de ſacrilegio participare. *S. Bernardi hic eſt ſenſus*: Nugæ in ore ſecularis nugæ, in ore Sacerdotis blaſphemiæ ſunt; conſecraſti os tuum Evangelio, talibus aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt.

Itaque ſi ipſæ nugæ ſunt ſacrilegia, quid tandem erunt alia graviora peccata? Videat itaque Sacerdos, an ſe non poterit, ſi peccaverit, verbis *S. Ambroſ. Serm. ad*

lapſ.

lapſ. increpare: Sacrilegium eſt, ubi vas Chriſto oblatum, dedicatum Domino dementi temeritate polluiſti. Meminc ris, quid ſit factum *Dan. 5.* Balthaſari. Quid de te arbitraris pariter, perdite ac perditor, qui vas rationabile conſecratum Chriſto, ſanctificatum Spiritui S. impiè temerâſti, polluiſti ſacrilegè? Meliùs fuerat omninò te natum non eſſe, quàm ſic natum, ut te ſibi gehenna proprium filium vendicaret.

IV. Obligantur ad exemplaritatem.

Exemplares adeo debent eſſe Sacerdotes, ut *S. Baſil. Reg. 80. cap. 8.* dixerit: Simus tanquam lux in mundo, ut & ipſi puri ſimus ab omni vitio, & eos, qui ad nos accedunt, illuminemus ad agnitionem veritatis. *S. Cypr. de unit. Eccl.* Quaſi templum DEI converſemur, ut Deum in nobis conſtet habitare. *S.Greg. Hom. 7. in Luc.* Debemus penſare, quod à Domino ſanctis dicitur Apoſtolis, & per Apoſtolos nobis: *Vos eſtis ſal terræ.* Si igitur ſal ſumus, condire mentes fide-

lium debemus; ut, quiſquis Sacerdoti jungitur, quaſi è ſalis tactu, æternæ vitæ ſapore condiatur.

In eos, qui deſunt exemplo, vel pravum exhibent ſic *Bernard. Serm. in Synodo ad Paſtores* invehitur: Defuiſti partibus tuis; pars tibi erit cum hæreticis, pars cum Eccleſiæ tyrannis. *Et addit*: Multi ſunt Catholici prædicando, ſed hæretici ſunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt hodie plures per mala exempla, ſeducunt ſcilicet populum & inducunt in errorem; tantò prævalent opera verbis. *Et ingemiſcit*: Nolunt ſoli perire, qui præire fidelibus debuerunt.

In idem recidit dolor *S. Greg. Hom. 17. in Evang.* Nullum ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit.

V. Periculum imminet, ne indignè ad ſacrificium accedant.

Jam vero, quia Sacramentum Euchariſtiæ

ristiæ non solùm ùt Laici percipiunt, sed etiam conficiunt, duplo majus habent vinculum, ut dignè accedant: ad quod si indignè accesserint, plus quàm judicium sibi manducabunt & bibent. *S. Bonaventura apud S. Antonin. Tom. 1. sess. 50. a. 2. c. 5. monet* : Cave, ne nimis tepidus, & inordinatus atque inconsideratus accedas, quia indignè sumis, nisi accedas reverenter, circumspectè, & consideratè; & vide, ne propter tumorem, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris respectu accedas; sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem. *Et in Breviloqu. p. 6. c. 9.* Qui tepidè, & indevotè, & inconsideratè accedit, judicium sibi manducat & bibit.

Quod verò officium sacrificantis attinet, ait *S. Chrysost. Homil. 38. in Matth.* Quo non oportet esse puriorem fruentem tali sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os, quod igni spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?

Quid putatis, si aliquis, non dico obscœna, sed profana in sanctuarium veteris legis intulisset, quantoperè DEUM offendisset? Atqui, teste eodem *Chrysost. Homil. 30. in 2. Corinth.* os istud sacrificantis ipso quoque propitiatorio augustius, atque terribilius est.

Quid si aliquis vase, quod sordibus impletum fuit, & paulo ante nec satis repurgatum, vellet sacram Hostiam excipere? quid si manus sanguine manantes Domino pacis admovere? Quis scit, an lugeat Samuel, quòd unxerit Saulem? Quis scit, an non feratur sententia tanquam contra proditorem intingentem manum in paropside? Uti hîc libet verbis *S. Hieronymi ad Sabinianum*, licet paululùm mutatis: Non times, ne Christus de Hostia contra te clamet? ne puerpera Virgo te increpet? ne Mater Domini te accuset?

Quid sit verò dignè ad hanc mensam accedere, innuit *S. Bern. Serm. 3. in Psal. 90.* Quid est manducare ejus carnem, & bibere ejus sanguinem, nisi communicare possessionibus ejus, & eam conver-

versationem imitari, quàm gessit in carne? *S. Chrysostomus Homil. 24. in 1. Cor.* Qui ad hoc corpus accedit, nihil ei cum terra commune esse debet. *S. Cyrillus Alex. lib. 2. Glaphyrorum in Exod.* Oportet eum, qui semel communicavit Christo, quasi incitato, ardentique animo ad omnem virtutem contendere, & istam, quæ in mundo est, abominabilem voluptatem præterfugere. *S. Augustinus Serm. 1. de temp.* Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam, nam si non commutet vitam, ad judicium accipiet vitam.

Et hæc quidem de Laicis isti Patres sancti dixerunt: at verò de Sacerdotibus *B. Laurentius Justin. de discipl. & perfect. c. 9.* Alia Sacerdotum, alia cæterorum debet esse consideratio, & mentis dispositio; excellentior quippe gradus perfectiorem exigit præparationem. Unde *S. Bernard. Serm. de tripl. custodia* dicit de se aliisque Sacerdotibus: Nobis ad immunditiam minima quævis inobedientia (præcepti divini) sufficit; nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actio-

nibus noſtris vel minimorum reſidet negligentia mandatorum.

Et unde hoc? Explicat *Idem Serm. 8. in Pſal. Qui habitat.* DEO dicata membra nullâ tibi temeritate uſurpes, ſciens, quia pietati ſanctificata non absque gravi ſacrilegio in uſum vanitatis, curioſitatis, voluptatis, aut ejuſmodi ſecularis operis aſſumuntur.

Unde *Idem* lamentatur *de Converſione ad Clericos cap. 17.* Nemo magis iram meretur quàm inimicus ſimulans amicum, id eſt, *ſacra perſona poſita in peccatis.* Væ miniſtris infidelibus, qui nondum reconciliati reconciliationis alienæ negotia, quaſi homines qui juſtitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui ſe filios gerere profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificatorum ſibi uſurpant gradus, & nomen non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles ſeſe mediatores pacis, ut peccata populi comedant, (id eſt *beneficia à benefactoribus pro peccatis erecta*) mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne, DEO placere non poſſunt, & placere velle præſumunt.

Et

Et *cap. 29.* Curritur paſſim ad ſacros Ordines, & reverenda quoque ipſis Angelicis ſpiritibus myſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. Neque enim ſignum regni occupare cœleſtis, aut illius timent imperii geſtare coronam, in quibus avaritia regnat, imperat ambitio, dominatur ſuperbia, ſedet iniquitas, luxuria etiam principatur. Ingrediuntur cum macula tabernaculum DEI viventis, inhabitant cum macula templum ſanctum DEI polluentes, judicium multiplex accepturi. Tales non modò non placant Deum, ſed etiam irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: *Non requiret.* Irritant planè & infenſum reddunt ſibi, vereor ne & his, quibus illum propitium reddere debuerant. Eſſet ſine dubio melius, ſalvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri ſublimitate & deteriùs vivere, & diſtrictiùs judicari.

VI. Strictiùs judicabuntur.

Diſtrictiùs certè judicari; nam difficiliùs videntur miſericordiam conſequi.

Idem

Idem sanctus Pater Bernardus ad illud Isaiæ 26. Misereamur impio &c. Sermone 23. in Cantic. Non miseremur; *in terra*, ait Propheta, *Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Terra Sanctorum sunt Ecclesiastica beneficia.

In declamatione verò Idem ait: Clericus, qui partem habet in terra, non habebit in cœlo partem. Clericus si aliquid habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus; v. g. si aurum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis pars ejus fieri non dignatur Dominus. *Et tandem*: Cùm cœperint resurgere homines, unusquisque in ordine suo, ubi putas ista generatio Clericorum locabitur? Si ad milites fortè diverterint, exsufflabunt eos, qui minimè secùm labores aut pericula tolerârint; sic agricolæ, sic negotiatores, & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, utpotè qui in labore hominum non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut, quos omnis ordo repellit & accusat, eum sortiantur locum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

VII. Quia

VII. Quia etiam alienorum peccatorum sunt rei.

Rationem duri judicii *ex eodem S. Patre ibid.* desumimus, ubi sic alloquitur Sacerdotem: Peccata populi comedis, ac si tua tibi non sufficere viderentur. Sollicitus esto, tanquam rationem redditurus pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus, alioquin tibi ea noveris imputanda, quæ modò inter delicias comedis, & parvipendis, & dissimulas tanquam nihil attinentia tibi! O judiciorum DEI abyssus multa! ô terribilis DEUS in consiliis super filios hominum! Venient, venient ante tribunal Christi, audietur populorum querela gravis, accusat o dura, quorum vixêre stipendiis, nec diluêre peccata, quibus facti sunt duces cœci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens? &c. Similia dixit *S. Gregor. Hom. 17. in Evangel.*

VIII. Non est, qui pro eis oret.

Sed non minùs est grave, quod *idem S. Gregor. l. 2. in 1. Reg. cap. 3.* scripsit: Cùm

Cùm Sacerdos in culpam labitur, superior persona non est, cujus precibus expietur. *Si sal evanuerit, in quo salietur?* Quis orabit pro eo? Quo profectò culpæ magnitudo monstratur; quia plerique eorum (*adverte, quid dicat*) à Domino in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nullâ hominis adhortatione resipiscunt. Quare aptè subjungitur de filiis Heli: *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit eos Dominus occidere.*

In idem tendunt quæ alicubi dixit *Hieronymus*: Si peccaverit populus, orabit pro eo Monachus; si autem Monachus lapsus fuerit, orabit pro eo Sacerdos; quod si & Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?

IX. Quia Sacerdotes malæ vitæ sunt specialiter maledicti à DEO.

Rem hanc ipsius DEI verbis dabo, quæ ex *lib. 1. Revel. S. Brigitt. cap. 47.* desumo, ubi loquitur de Sacerdotibus peccatoribus: Ecce tales Sacerdotes non sunt

ſunt mei Sacerdotes, ſed viri proditores; ipſi enim & me vendunt quaſi Judas, & produnt. Ego conſpicio Paganos & Judæos, ſed nullos video iis deteriores, quia ipſi Sacerdotes ſunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer. Nunc etiam dico tibi judicium eorum, & cui ſunt ſimiles. Horum judicium eſt maledictio. Sicut maledixit David eis, qui non obedierunt: ſic ego, qui melior ſum quàm David, maledico eis. Maledictum ſit ergo omne, quòd de terra utilitatem ſuam receperint. Maledictus ſit cibus & potus eorum, qui intrat in os eorum, qui pavit corpus in cibum vermium & animam ad infernum. Maledictum ſit corpus eorum, quod reſurget in infernum ſine fine arſurum. Maledicti ſint anni eorum, quibus vixerunt inutiliter. Maledicta ſit hora, quæ incipit eis in inferno, & nunquam finietur. Maledicti ſint oculi eorum, quibus vident lumen cœli. Maledictæ ſint aures eorum, quibus audiebant verba mea, & non curabant. Maledictus ſit guſtus eorum, quo guſtaverunt dona mea. Maledictus ſit tactus

eorum,

eorum, quo tractaverunt me. Maledictus sit odoratus eorum, quo odoraverunt delectabilia, & me neglexerunt delectabiliorem super omnia.

Sed quæritur, quomodo maledicuntur? utique. Maledictus erit visus eorum, quia non videbunt visionem DEI in me, sed tenebras & pœnas inferni. Maledictæ sunt aures eorum, quia non audient verba mea, sed clamorem & horrorem. Maledictus est gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis æternum gaudium, sed amaritudinem æternam. Maledictus est tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum. Maledictus est odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suavissimum in regno meo, excedentem omnia aromata, sed fœtorem in inferno habebunt amariorem felle, & pejorem sulfure. Maledicti sunt à cœlo & terra, & ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsi obediunt DEO, & laudant, & isti spreverunt. Propterea juro in veritate mea, quia sum veritas, quòd si sic moriuntur & in tali dispositione

tione, quâ nunc constituti sunt, nunquam charitas mea, nec virtus concludet eos in se, sed sine fine damnabuntur.

Et *capite sequenti*, postquam Sacerdotes malos comparavit Sacerdotibus Beelzebub, subjungit: Sed quid dictum est Moysi? Interfice eos. Sic nunc venient verba mea, quæ occident eos, alios ad corpus & animam per æternam damnationem, alios ad vitam, ut convertantur & vivant, alios ad celerem mortem, quia ipsi Sacerdotes sunt mihi omninò odiosi. *Et post pauca:*

Ideò juro in Deitate mea & humanitate, Angelis omnibus audientibus, quòd frangam ostium, quod clauserunt super voluntatem meam, & ipsa complebitur, & eorum voluntas annihilabitur, & claudetur sine fine in pœna. Propterea, sicut antiquitùs dictum est, incipiam judicium meum in Clero, & ab altari meo.

Sed redeamus ad maledictiones mali Sacerdotis etiam in hac vita, ita enim *l. 5. Revel. cap. 9.* Christus Dominus loquitur: Cùm accedit ille Presbyter ad altare meum,

meum, adſtant ad latera ejus dæmones, cujus & animam inhabitant, quia ipſa eſt mortua à me. Cùm imponit ſibi ſuperhumerale, dæmones obumbrant animam ejus, ut non cogitet, & non intelligat, quàm terribile eſt accedere ad altare meum, & quàm mundus eſſe deberet, qui mihi mundiſſimo adſtare debet. Cùm induit ſe albâ, duritiâ cordis & indevotione inducitur, quia cogitat, peccatum ſuum non eſſe grave, ſupplicium æternum futurum non magnum. Cùm ſibi imponit ſtatam, diabolus grave jugum imponit collo ejus, ita quòd delectat eum peccati dulcedo, & ſic onerat animam ejus, quòd non ſinit eum ingemiſcere, vel conſiderare peccatum ſuum. Cùm imponit ſibi manipulum, omnia opera ad DEUM fiunt ſibi gravia, & oneroſa, & erubeſcibilia, terrena autem levia. Cùm autem cingit ſe cingulo, tunc ligatur voluntas ejus cum diabolo, ita quòd velit & proponat morari in peccato, & tunc diſſolvitur charitas mea cum eo, quia voluntas ejus eſt ad omne illud, quod diabo-

diabolus ei inſpirat in mentem, niſi refrænaretur occulto judicio meo. Cùm induit ſe caſulam, tunc perfidiâ induit eum diabolus. Quando autem legit Confiteor, dæmones reſpondent: mentitus es, nos ſumus teſtes, quòd confeſſio ejus ſimilis eſt Judæ, quia dicit aliud ore, aliud habet in corde. Cùm accedit ad altare, tunc ego averto faciem meam ab eo. De quocunque autem legit Miſſam, ſive de Matre mea, ſive de Sanctis, ſic mihi carum eſt, ac ſi meretrix menſtruum ſuum in vaſe poſitum offerret alicui Nobili ad bibendum; aut ſi aliquis diceret inimico ſuo: cave tibi, ego quæro damnum tuum. Quando verò conſecrat corpus meum, & dicit: Hoc eſt corpus meum, tunc fugiunt dæmones ab eo, & corpus ejus remanet quaſi truncus, quia anima ejus mortua eſt ante oculos meos. Cùm autem corpus meum applicat ad os ſuum ex præſumptione illa, omnis turba dæmonum revertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet, ipſe ſtercus mundi habet in ore, in corde autem

ſunt

ſunt vermes ſcaturientes. Paſcet illum aquila illa abominabilis, cujus conſuetudo eſt pullis ſuis poſt ſatietatem aliquo tempore ſubtrahere neceſſaria, ita quòd macies ex fame proveniens omni tempore apparet in eis: ſic diabolus delectatione ſuâ ad tempus paſcet eum, ut poſtea famem gaudii ſentiat, & durabit ſine fine in eo. Verumtamen cùm vivit, miſericordia mea aperta eſt ei, ſi convertatur.

Neque illa DEI ſeveritas nimia eſt, quia, ùt ipſe dicit *lib. 4. cap. 134.* Sacerdotes præ omnibus Angelis & hominibus elegi, & ſuper omnes honoravi; ipſi autem præ omnibus Judæis & Gentilibus, & præ omnibus dæmonibus me magis provocant.



CAPUT III.

GRAVE JUGUM SUPER PRÆLATOS IN ECCLESIA.

I. *Quia difficulter ſalvantur.*

TErribile eſt effatum Prælati in Eccleſia *S. Chryſoſt. Hom. 34. in Epiſt. ad Hebr.* Miror, ſi poteſt ſalvari aliquis Rectorum Eccleſiæ.

Idipſum repetit, ſimulque dicto cauſam adjicit *Hom. 3. in Acta*, idque cum quanta affirmatione! Non temerè dico, ſed ut affectus ſum, ac ſentio: Non arbitror, inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multò plures, qui pereant. Quod alii peccant, Sacerdoti imputatur. *Et infert in Luc. 2.* Quis eſt, qui deſiderat Prælationem, niſi qui non timet judicium DEI!

Hinc tantoperè ſancti viri iſtas dignitates & fugiebant, & cenſebant fugiendas. Scribitur *in Schola SS. Pa-*

trum fol. 174. Fuit ſermo factus coram B. Jordane Ordin. Prædic. de quodam Patre, viro probo, ac virtutibus prædito, quòd Antiſtes jure optimo fieri debeat; at vir DEI reſpondit : Mallem eum feretro mortuum ſociare , quàm in cathedra videre Antiſtitem ſedentem.

Et quid ita? Plura illis commiſſa, pluribus reddenda ſunt. Tot animas habent, quot oves. *S.Gregor. p. 1. paſt. c. 5.* Ex tantis procul dubiò rei ſunt, quantis venientes in publicum prodeſſe potuerunt, nec profuerunt.

II. Magnâ ſollicitudine ſubditos curare debent.

Quantum verò amorem & ſollicitudinem debeant ſubditis, patet ex mandato DEI ad Moyſen Num. 11. *Porta eos in ſinu tuo , ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram.* Quid ſi fuerint diſcoli? porta. Quid ſi affecerint contumeliis? porta Quomodo? *ſicut nutrix infantulum* ; ita ut non ille ſe tibi , ſed tu illi debeas te aptare juxta 1. Theſſal. 2. *Facti ſumus parvuli*

vuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos, non alienos.

III. Quia hæc cura eget magnâ patientiâ.

Hanc curam explicat, & in S. Moyse ostendit *S. Ambros. lib. 2 de offic. cap. 7.* Quantas Moyses à populo DEI illatas absorbebat contumelias? & cùm Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi Divinæ plebem subduceret. Quàm miti sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus, & quamvis cum DEO constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Discite (*alloquitur Prælatos S. Bernardus Sermone 23. in Cant.*) subditorum matres vos esse debere, non Dominos.

Sed ad Moysen redeamus. De illo S. *Hieronym. in epist. ad Theophilum adv. error:* Lapidabatur à populo, & pro la-

pidantibus orabat. Causam, quare Prælati debeant tam duram sollicitudinem subditis, reddit *S. Chrysost. in Epist. ad Galatas*: Non enim propterea te DEUS illis præfecit, ut majus acquiras obsequium ac famulatum, sed ut neglectis rebus tuis, quidquid illorum est, ritè dispensetur ac ædificetur.

IV. Magnâ charitate.

B. Laurent. Justin. de instit. & regim. Prælat. cap. 4. Prudentis Patrisfamilias (ita vocat Prælatum) hoc semper est proprium, uniuscujusque subditi curam gerere, singulorumque necessitatibus providere, nullum spernere, nulli commoda opportuna subtrahere, quin potiùs omnes corporali pabulo alere, universos salutari doctrinâ imbuere, cunctosque juxta singulorum necessitatem ac qualitatem, ut filios, charitatis brachiis adstrictos tenere.

Ex quibus Idem deducit potissimùm Prælatos malos afflicturam illam horribilem sententiam: *Ite maledicti in ignem ater-*

æternum, esurivi enim & non dedistis mihi, &c.

V. Magnâ sanctitate.

Idem *B. Laurent. Justinianus ibid. c. 16.* Quamobem Pastores animarum, tanquam cæteris perfectiores, nedum impudici amoris opera, verùm etiam inordinatæ affectionis motus de cordis sui debent resecare habitaculo, ut impollutum sit & sanctum, dignumque ad suscipiendum DEI verbum, quoties in istud eidem reclinare libuerit.

S. Gregor. lib. 1. Epist. 24. Omni curâ vigilandum est, ut Rector Ecclesiæ cognitione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus; bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum erectus &c.

VI. Magnâ scientiâ.

Sed & scientia Prælatis opus. Ita idem *Greg. in Pastor. p. 1.* hos duos tex-

tus combinat: Iſaiæ 56. *Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam.* 1. Corinth. 14. *Si autem quis ignorat, ignorabitur.* Tanta verò ſcientia debet eſſe, ut alii eam ex ore Prælati requirant, ut dicitur apud Prophetam. Debent enim quemvis verbo ſuo ad bonum ducere. Malach 2. *Sacerdos enim Angelus eſt Domini exercituum, id eſt, nuntius*, qui debet ejus voluntatem ſcire, à quo mittitur, & illam denunciare; ille enim dicitur Iſai 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo peccata eorum.* Inde Sacerdos ingrediens Sanctuarium in lege veteri ambiebatur tintinabulis, hoc eſt, ut *S. Greg. lib. 1. Regeſt. epiſt. 24.* exponit, ut voces prædicationis habeat Sacerdos: namque ingrediens, vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur, hoc verò non poteſt eſſe absque magna ſui mortificatione. *1. Cor. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, dum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Et tamen jam fuit in tertio cœlo, &, ut *Tyrinus* docet, jam vigin-

ginti & tres annos laborum explevit, in senióque profecit. Ad quod *S. Aug. Serm. de verbis Apostoli* : Quid faciat agnus, quando aries tremit?

Oportet enim in hoc munere ita ad omnia paratum esse, sicut fuit *S. Chrysost. epist.12. ad Cyriac.* Si Imperatrix serrâ me dissecare vult, dissecet, Isaiam pro exemplo habeo; si me in mare præcipitem dare vult, Joannem in memoriam redigo; si in fornacem conjicere, tres habeo pueros eodem supplicio affectos; si feris objicere, Danielem mihi propono; si lapidibus me vult obruere, Stephanum habeo Protomartyrem; si caput meum accipere, accipiat, Joannem habeo.

Sed exclamat *Gregor. Hom.17. in Evang.* Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen rarus invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. *Et rursus* : Ecce in majestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum choros Judex videbitur. In illo tanto examine electorum omni-

um ac reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit: ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens; ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducet; ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus!

VII. Magnâ lenitate.

Audiamus S. *Chrysostomum de lenitate Hom. 3. ad popul.* Vis fratrem corrigere? lacrymare, ora Deum ex corde, apprehensum admone, consule, exhortare, demonstra charitatem erga peccatorem, persuade ipsi, quòd consulens & curans, non pervulgare volens, peccati ipsum commonefacis; comprehende pedes, oscularé, ne erubescas, si modò veré

verè mederi velis. Hæc & Medici faciunt, ſæpiùs difficiles ægrotos habentes, deoſculantes, rogantes perſuadent ſalutarem ſumere medicinam.

VIII. Magno labore.

Idem *Hom. 29. in Epiſt. ad Rom.* Perpendamus ovium paſtores illos, qui in regione Cappadocum ſunt, qualia & quanta pro pecorum ſuorum ſtudiis patiantur. Illi ſæpenumerò univerſum triduum nivibus obruti perſeverant. Dicuntur autem & qui in Lydia non minora mala ferre, dum integros menſes difficilem illam ſolitudinem, peſſimarúmque beſtiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt paſtores illi, quam, quæſo, excuſationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ ſunt? &c. An ignoras gregis hujus dignitatem? an illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? an non poſtremò & ſanguinem ſuum fudit? tu verò requiem quæris?

De Pharisæis scriptum est Matth. 23. quod *circuirent mare & aridum, ut unum facerent proselytum.* Ita illi laborabant. Scriptum est rursum: *Nisi justitia vestra abundaverit plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Exclamat *Greg. lib. 2. Regest. indict. 10. Epist. 39.* Quid nos, ô pastores, agimus, qui & mercedem consequimur, non ut olim Pharisæi, qui cum suo proselyto in gehennam abibant, & tamen operarii nequaquam sumus.

IX. Magnâ exemplaritate.

S. Bern. Serm. de tribus Ordin. Eccles. Qui docet & non facit, talis occasio plurima damnatio Prælati, plurima perditio subditorum est. Unde *Idem in Cant. Serm. 10.* Qui animas susceperunt regere, quod sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitio-

tionem turpis quæstûs, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant; hoc sanè à Juda Iscariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias; animarum nec reputatur casus, nec salus.

Et quod est horribilius *Serm. 23. in Cant.* addit: Pauci qui utiliter, pauciores qui & humiliter præsint. Cernitur hinc DEUS justo sed occulto judicio suo, reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona, insuper & corda indurans, ne fortè doleant, & convertantur, & resipiscant, & sanet eos; & hoc non absque certa, & æterna ratione, quod tantò formidolosius constat esse, quantò immobilius fixum extat in æternitate.

Hoc sanè expenso subjicit *Serm. 30.* Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis, id est, de subditis non colligere nisi spinas & tribulos, id est, opes, vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri. Fures sunt & la-

trones, non cûstodes, neque cultores. *Et Serm. 77.* Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum.

Talibus eveniet, quod scripsit *S. Cyprianus lib. de sing. Cleric.* Non invenient in die judicii ullum omninò solatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem ministrârunt.

X. *Etiam pro aliis punientur.*

Vehementer enim subditi malâ vitâ superiorum scandalizantur, & in hoc sensu fortasse dixit *lib. 2. in 1. Reg. cap. 5. Magnus Gregorius:* Magnus nobis Prælatis timor incutitur, quia Heli filiorum culpâ damnâtur, cujus propria peccata nulla referuntur. Nam bonis subditis ad salutem sufficit benè vivere; Prælatis verò propria vita non sufficit. *Idem ibid.* Scriptum est, si peccaverit vir in virum, placari ei DEUS potest, si autem in DEUM peccaverit, quis orabit pro eo? Quicunque aut suam, aut alterius fidelis animam ad peccandum pertrahit, in DEUM peccare convincitur,

citur, quia ei sua propria auferre nititur.'

XI. Ratio illis talentorum incumbit.

Sed non solùm pro culpis, verùm etiam pro talentis malè administratis punientur. Nam *idem S. Doctor eodem loco*; Pastorum culpæ subtiliùs judicantur, & non solùm peccata eis pœnam ultionis aggravant, verùm etiam munera concessa, & singula ad tormentum veniunt, quæ malè fuisse servata comprobantur.

Unde *B. Laur. Justin. de Christi agone cap. 26.* Audiant, qui inconsultè regunt, quid de ipsis Divinus sermo Sap. 9. contineat; *Judicium*, inquit, *fiet durissimum iis, qui præsunt.*

XII. Debent esse à Deo vocati ad suum munus.

Jam si ad hoc munus à DEO non sunt electi, damnationi sunt obnoxii. Ex *S. Gregor. eodem loco* patet: Oseæ 8.

Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes exstiterunt, & ego ignoravi. Ex se namque, & non ex electione supremæ dignitatis regnant, qui ad gloriam Ecclesiastici culminis non vocantur divinitùs, sed per cupiditatem deducuntur: quos profectò Dominus ignorat, quia eos per internæ æquitatis judicium reprobat. *Et paulo post*: Quia ad sacerdotium indignus accesserit, vel in eo indignè vixerit, condemnatur. Certè indignè accedet, qui non est vocatus.

Quem ergo DEUS vocavit? Respondet *idem S. Doctor*: Illum DEUS ad suum ministerium Sacerdotem deligit, qui juxta cor ejus & animam facit. 1. Reg. 2. *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem juxta cor meum & animam meam.* Sed quis est juxta cor & animam? Cordis & animæ illud præceptum est Joan. 5. *Diligite invicem, sicut dilexi vos.* Luc. 6. *Diligite inimicos. Quæ vultis faciant vobis homines, facite illis.* Hæc & ejusmodi cordis & animæ præcepta sunt. Sacerdos ergo fidelis per hoc indicium noscitur,

si

ſi videlicet juxta cor & animam ejus operatur.

Sed aliquando improbus à DEO aſſumitur Prælatus, ut qui ei ſuccedit, dum horret vitam Anteceſſoris, ſectetur ſanctitatem. Docet id prædictus *S. Pater lib. 4. in 1. Reg. cap. 8.* Fortaſſe idcircò reprobus Saul eligitur, ut electus ejus ſucceſſor Rex David in eo cognoſceret, quid cavere debuiſſet. Sic nimirum & de illa Angelorum curia legimus, quia de apoſtata Angelo Job. 40. dicitur: *Ipſe eſt principium viarum Domini.* Sed qui ante omnia conditus eſt, per ſuperbiam cecidit, & in ejus ruina ſancti Angeli didicerunt, quâ virtute ſtare potuiſſent.

Signum etiam hoc vocatorum à DEO ponit *lib. 4. in 1. Reg. c. 5.* Qui à Domino ad regendum alios ordinantur, ſpiritualia chariſmatum dona, quibus eis prodeſſe poſſunt, accipiunt, & eis, quos ordine præcedunt, meritis etiam ſuperiores ſunt.

Aliud etiam ſignum Divinæ vocationis *ibidem* ponit: Signum ſuæ unctionis

nis electi cognoſcere poſſunt ; quâ eos ungit vocando Spiritus S. quia nimirum tunc à DEO ad S. Eccleſiæ culmen perducuntur, cùm per verba & exempla idonei ſunt ad ſalutem alienam, & per quietem ſtudioſi ad ſuam. Quales certè nec ſunt pueri, nec pſeudo-politici, nec idiotæ.

XIII. *Caveant, ne aliquem ſcandalizent.*

S. Greg. Paſt. p. 3. c. 1. Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla transmittunt. Unde neceſsè eſt, ut tantò ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quantò per prava, quæ faciunt, non ſoli moriuntur. His dicitur Prov. 6. *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.* Spondere namque pro amico eſt alienam animam in periculo ſuæ converſationis recipere : verbo oris ſui illa-

illaqueatus eſt, quia dum commiſſis ſibi cogitur bona dicere, ipſum priùs neceſſe eſt, quæ dixerit, cuſtodire.

Sed idem lamentatur *Homil. 17. in Evang.* Nullum puto ab aliis quàm à Sacerdotibus majus præjudicium tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, &c. Ingrediuntur tamen electi Sacerdotum manibus expiati cœleſtem patriam, & Sacerdotes ipſi per vitam reprobantur, & ad inferni ſupplicia feſtinant.

Quid ad hæc illi gregis paſtores, quos *Tertullianus* olim amariſſimè riſit *lib. adverſ. Judæos c. 2.* Infantes in prælium (ſpirituale) erumpunt, credo ad ſolem vincti priùs, dehinc pannis armati, & butyro ſtipendiati, quî neque norint lanceare, neque lancinare.

Sed & *S. Bernard. Epiſt. 42.* Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores interim, quòd virgas eva-

evaſerint, quàm quòd meruerint principatum.

Claudamus hoc caput ſententiâ *Magni Doctoris S. Aug. ad Valerium Epiſc. Epiſt. 147.* Ante omnia peto, ut cogitet religioſa pudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. ſed nihil apud DEUM & miſerius, & triſtius, & damnabilius.

Concludo verbis *S. Hieron. lib. 1. in Matth c. 5.* Sal appellantur Apoſtoli & Doctores, quia per illos univerſum hominum conditur genus. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ſi Doctor erraverit, à quo alio Doctore emendabitur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Caveant ergo Doctores & Epiſcopi, & videant, potentes potenter tormenta ſuſtinere, nihilque eſſe remedii, ſed majorem ruinam ad tartarum ducere.

CA-

CAPUT IV.

GRAVE JUGUM SUPER OMNES SERVOS DEI.

I. Ignorantia ſtatûs noſtri in ſupernaturalibus.

NEſcimus, an actus virtutum naturales, an verò ſupernaturales eliciamus; quod ſi naturales, per illos vitam æternam non meremur. Neſcimus, an in gratia DEI, an vivamus in odio, ac proinde, an opera noſtra placeant. Neſcimus perſeveraturos nos in bono, & cùm ſimus obnoxii ſemper peccato, omnia, quæ longo acquiſivimus labore, in momento amittere poſſumus, neque in æternum reparare.

II. Perſecutio virtutem ſequitur.

Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur, & hoc ſem-

ſemper. *S. Leo Serm. 9. in Quadrag.* Nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis.

Jam verò quàm facilè eſt à tribulatione vinci, ac virtutis moveri ſtatione? Concitat verò tribulationes internas, ac ſæpè externas hoſtis noſter, quem provocamus, dum viam ingredimur virtutis; ille autem eſt viribus, vafritie, victoriis valentiſſimus, & tam certò nobis imminens, ut monuerit Sacra Scriptura Eccl. 2. *Fili, accedens ad ſervitutem DEI, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Et *S. Aug. in Pſal. 141.* Scito, quòd in medio laqueorum pertranſis. Quid eſt in medio laqueorum? in via Chriſti, & hinc laquei, laquei à dextris, laquei à ſiniſtris.

Ita ſumus conſtituti, quomodo ſi circumeat nos leo, quærens, quem devoret, quomodo ſi hoſtis, ut jugulet, quem nos tamen minimè videamus. Et quidem ſi per tentationes & adverſa non evadimus meliores, periculum eſt, ne ſimus ſine DEO, uti advertit *S. Aug. in*

Pſal.

Psal. 21. In quibus habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati.

Ulcus sese tangi non sinit, caro sana manum sustinet; bonus stomachus cibos etiam duriores vertit in alimentum, malus optimos corrumpit. S. *Greg. præfat. in moral. cap. 2.* Sicut unguenta commota laticis redolent, & aromata cùm incenduntur, fragrantiam suam expandunt: ita viri sancti, qui virtutibus redolent, in tribulatione innotescunt.

Imò si tribulatio nobis non prodest, teste *S. Gregor. Nysseno*, seculo nondum exoluti sumus. *Orat. 8. de beatitud.* Ubi vivus sermo & efficax penetravit in eum, qui verè fidem suscepit, tunc damno rerum terrenarum non tristatur, sed lucro cœlestium lætatur: propterea omne genus suppliciorum, tanquam subsidium & auxilium propositi gaudii haud cunctanter excipit & admittit, ignem tanquam materiæ purificatorem, gladium tanquam direptorem conjunctionis, quâ mens cum materialibus & carnalibus coaluit, omnes labores & dolores, quicunque

cunque excogitari possunt, tanquam medicamentum noxio voluptatis veneno adversans cupidè atque parato animo suscipit: quia, ut *S. Chrysost. Hom. 25. in Genesin.* inquit, amor in Deum gravitatem molestiarum imminuit, neque sentire sinit, dum nos invaserint.

Hinc servi Dei metuunt, ne non ament Dominum, quando tribulationum in se horrorem persentiscunt, dum non judicant practicè, quod pati sit bonum, & valde magnum bonum. *S. Diadochus cap. 91.* Qui voluntate quâdam insatiabili diligit DEUM, tametsi infinitis contumeliis & incommodis ab alio afficiatur, tamen non irascitur ei, sed potiùs cum eo, qui contumelias & damna intulit, manet copulatus. Talis vere amat DEUM, at verò *qui non diligit, manet in morte.*

Audiamus, quám *S. Chrysostomo Orat. 8. in Epist. ad Ephes.* placeant tribulationes. Vinctum esse propter Christum est præclarius quàm esse Apostolum, quam esse Evangelistam, quàm habitare cœlos, fortassè præclariùs est quàm sedere à dextris,

à dextris, eſt magnificentius quàm ſedere ſuper duodecim ſedes, quàm collocari cum Angelis, quàm unum eſſe ex Poteſtatibus, quæ ſunt circa cœlos, aut circa thronos.

Audiamus & *S. Joannem Climacum* quàm neceſſarias judicet afflictiones *gr. 4.* Is qui ad placidam animi quietem, & ad DEUM currit, omni die, quo maledicta non ſuſtinet, ingens detrimentum ſe ſuſtinuiſſe arbitretur.

III. Ob parvorum neglectum ſæpè ventunt ad interitum.

Parva ſæpè mala graves traxerunt ſecum ruinas, & veniales culpæ lethalium permiſſione ſunt punitæ. *S. Ambr. in Pſal. 1.* Ut in ſtipulam ignis inſiliens inhæret ac permanet, donec omne, quod corripuit, abſumat, ita vel exigua ſcintilla peccati. *S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de ſummo bono cap. 1.* Diabolus eſt ſerpens lubricus, cujus ſi capiti, id eſt, primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus in intima cordis, dum non ſentitur, illabitur. *S. Hieron. Epiſt. 34.* Et Sancti corruunt, ſi fue-

riat

rint negligentes ; quare? quia *maledi-ctus, qui facit opus Dei negligenter.*

At verò ab eo Deus omnia ſua tollit, quem maledicto ſubjectum videt. Opera verò noſtra bona ſunt verè res DEI. Sic enim habet *S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel cap. 10.* Quicquid ſanctum cogitaveris, hoc DEI munus eſt, Dei inſpiratio eſt, Dei gratia.

Præterea illud viris DEUM timentibus occurrere debet, quod inculcat *Nazianz. Orat. de fuco*: Illud velim non ignores, rugam tibi turpiorem eſſe quàm maxima vulnera iis, qui in ſeculo vivunt: nec enim tam notabilem ac conſpicuam in ſordidis, quàm in puris unius coloris veſtibus labes aliqua fœditatem habet, *& cui plùs datum, plùs ab eo requiretur.* Quò plura in ſervum ſuum contulit DEUS, eò magis offenſa illi diſplicet. Aliquo ſuo modico nævo, modico vitio grande ſcandalum ſecularibus vir facit in opinione virtutis conſtitutus: & quæ in ore ſecularis veluti nugæ habentur, ex ore illius ſi proceſſerint, velut blaſphemia notatur.

Adde quod dixit *Salvianus lib. 3. de Provid.* Voluit Salvator, ut, quàm est pura pupilla, sit Christiani vita. Parva sæpè credimus, quæ non parum infirmiores afficiunt, parva, quæ non parum DEO displicent, quæ Spiritum Sanctum à nobis avertunt. S. *Bernard. Serm. 3. de Ascens. Domini.* Ipsi Apostoli Spiritu S. repleri nequiverant, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ inhærebant. Quàm parvum hoc vitium, si vitium! quàm exilis imperfectio, aliquo affectu non purè supernaturali, etsi honestissimo fuisse occupatum? & tamen hæc macula Spiritum Sanctum, tam necessarium non uni alicui personæ, sed totius mundi conversioni, Christi glorificationi, inhibebat.

S. Petrus, ut docet *S. Thom. 2. Secunda q. 43. à 2. ad 2.* ex quodam pietatis affectu in Christum, volebat passionem impedire, & dixit: *Absit à te, Domine, non erit hoc*; & statim audivit: *Vade post me, Sathana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Ita idem Petrus non admittebat lavari sibi pedes, & dictum

ctum est illi: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Affectum autem ejusmodi inter carnalem & fœdum, & spiritualem notat esse medium *B. Laurent. Justin. fascic. amor. c. 3.* dicitque eum esse, qui se pariter cum dilecto DEO diligit, & non solùm Deum, sed & delectationem propriam diligendo Deum diligit, & non nisi cum difficultate carentiam ejus, quem diligit, patitur. Et talis fortasse non in paucis DEI servis reperitur.

IV. Et tamen parvis lapsibus sumus obnoxii.

Et verum hoc est, quod S. *Diadochus cap. 77.* docet: Paucissimorum est, lapsus suos perfectè cognoscere. Et *S. Gregor. in Psal. pœnit.* Sancti viri licet jam magnâ charitate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, veluti quasdam noctis reliquias nolentes trahunt. *S. Isid. Hispal. lib. 2. sent. c. 18.* Quamvis in hoc seculo magnâ justitiæ quisque charitate resplendeat, nunquam tamen

men ad purum peccatorum ſordibus caret.

Imò cùm detractio ſit ex ſuo genere grave ac mortiferum crimen, juxta S. *Thomam*, tamen juxta eundem *2. ſecundæ q.* 73. *à 2. ad 2.* pauci ſunt vel nulli, qui non ſint detractionibus dicendis obnoxii. *S. Chryſoſtomus, lib. 1. de compunct. cordis*: A vitio temerarii judicii neque ſeculi homines, neque Monarchorum ullum facilè invenies liberum.

V. Sæpe nec puras habent, nec veras virtutes.

S. Bernard. Serm. 72. in Cant. In tempore & corpore iſto nulla noſtra virtus ad purum ita defæcata erit, nulla ita ſuavis & mera, ut ſponſo Chriſto habilis ſit ad potandum. Et nimirum, ſi ipſæ quoque juſtitiæ noſtræ omnes, ad lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ inveniantur, injuſtitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? *Caſſianus coll. 14. cap. 6.*

Impossibile est unum eundemque hominem simul universis fulgere virtutibus, quas si quis voluerit pariter affectare, id in eum incidere necesse est, ut dum omnes sequitur, nullam integram assequatur.

Quamquam hic locus explicari debet de prima acquisitione virtutum, quas omnes simul quærere impossibile est; tamen quantum hoc sit jugum servorum DEI, quàm pauci inveniuntur, qui sint in possessione, & non potiùs in acquisitione. Sed illud non levius, quod ostendit *S. Climacus. gr. 8. coll. 4.* Quandoque dæmones, cùm saturitate fuerimus distenti, compungunt nos, rursum cùm jejunaverimus, obdurant, ut seducti lacrymis, patenti vitiorum gulæ, ac deliciis nos ipsos exponamus.

En quantum periculum, & quàm fallax! Sed & illud non minus, de quo *Richard. in 6. Cant.* Dulcis in DEUM affectus quodammodo carnalis est & fallax, & humanitatis interdum potiùs quàm gratiæ, cordis quàm spiritûs, sensualitatis quàm rationis, ita ut magis accedat

cedat aliquando ad minus bonum, & minus ad majus.

Sed licet etiam ſigna in nobis appareant virtutum, nondum absque metu relinquimur. *S. Bernard. lib. 2. conſid. 6.* Quàm multæ, quas putaveras fruges, diligenter inſpectæ, vepres potiùs apparebunt! imò ne vepres quidem; annoſæ & veternoſæ arbores ſunt, ſed non fructiferæ, niſi fortè glandium, aut ſiliquarum, quas porci manducent.

Audiamus etiam *S. Baſil. reg. 17. Brev.* de verbis ipſis quid ſentiat bonis: Licet verbum ipſum, quod dicitur, genere ipſo de numero ſit bonorum, tamen niſi ad ædificationem fidei dirigatur, nequaquam propterea, quòd bonum ſit, liber ſit à periculo ejus, qui illud locutus eſt, quippe qui videlicet ex eo, quòd ad ædificationem illud non accommodaverit, contriſtare noſcitur Spiritum Sanctum Dei.

VI. Multa pericula à ſeipſis patiuntur.

Jam verò *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, & ſenſus noſtri no-

bis insidiantur. De gustu circa ipsam aquam monuit *S. Antonius S. Paulum Simplicem*, non minùs per aquæ abundantiam phantasias animæ fieri, quam per vinum calorem corporis increscere. Oculos vocat *S. Gregor. 21. Moral. 2.* raptores ad culpam; quisquis enim per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod noluit. *S Hieronym. ad Eustochium* scribens, monet, nullum adspectum esse tutum. Eccl. 3. *Nequius oculo quid creatum est?* De lingua *Idem cap. 28. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Et universim S. Jacob. cap. 2. *In multis offendimus omnes.* Et Eccl. 2. *Non est homo justus in terra, qui non peccet.*

Nostra mens quàm fluxa, quàm facilè dilabitur, cùm oramus. Et de hoc malo scripsit *S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel cap. 9.* An nescis, quàm grave sit in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? Certè Dominus per Prophe-

phetam docuit, hoc grave esse maledictum, dicens: *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Et *Julius Papa Epist. ad Episcopos Ægypti* de distractionibus mentis, aliisque negligentiis, quæ inter sacrificandum accidunt, ita scripsit: Cùm omne crimen atque peccatum oblatis DEO sacrificiis deleatur; quid de cætero pro delictorum expiatione dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione peccatur? Nam, ut docuit *Tertull. lib. de Orat. c. 10.* sit de tali spiritu emissa oratio, qualis est spiritus ad quem mittitur; nequit enim agnosci à Spiritu S. spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nam adversarium recipit nemo, nemo nisi comparem suum admittit.

Debet itaque conari, qui orat, ut sit quodammodo tam purus, tam expeditus ab omni nævo, atqui ipse Spiritus DEI. *S. Ephrem* etsi minus, multum tamen ab orante requirit *Serm. de virginit.* Esto totus orationis tempore velut cœlestis Angelus, sicque contende, ut oratio tua sit sancta & pura, immaculata & irreprehensibilis, ut cùm illam

ſurſum aſcendere viderint portæ cœleſtes, gaudentes ultrò confeſtim aperiant ei; ut ipſam cernentes Angeli & Archangeli cuncti, lætantes illi occurrant, & coram ſancto atque excelſo throno immaculati Domini ipſam offerant. Sic ergo ſemper orationis horâ eſto DEO conjunctus, ut Cherubim atque Seraphim.

Et tamen, advertit *S. Hieron. adverſ. Lucif.* conveniat unusquiſque cor ſuum, & in omni vita inveniet, quàm rarum ſit, fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat. Neque enim ſtatim qui jejunat, DEO jejunat, aut extendens pauperi manum DEO fœnorat: vicina ſunt vitia virtutibus, difficilè eſt DEO judice eſſe contentum. *B. Laurent. Juſtin. comp. & compl. perf. Chriſt. col. 19.* Rarus profectò reperitur, qui ſolo teſtimonio contentus ſit divino. *B. Damian. lib. 5. Epiſt. 3.* his ſubjungendus: Quid prodeſt, quidquid homo faciat, ſi hoc non placet Deo?

VII. Si

VII. Si non ferventer Deo serviunt, in magno sunt discrimine.

In Apoc. dicitur: *Utinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Quæ verba *Salvianus lib. 4. de gubern.* ita exponit: Utinam aut calorem & fidem haberes bonorum Christianorum, aut certè frigus & ignorantiam Paganorum. Aut enim fides calida te DEO insinuaret, aut certè ad præsens adhuc legis ignorantia aliquatenùs excusaret.

Quod etiam *B. Petrus Apostolus* evidenter exposuit, dicens de vitiosis & tepidis, id est, de malè viventibus Christianis 2. Epist. c. 2. *Meliùs erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: contingit enim eis illud veri proverbium: Canis reversus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti.* Quod ut evidenter de his dictum intelligamus, audi, quid eisdem eodem loco dicat: *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mun-*

di per cognitionem Domini nostri, & Salvatoris JEsu Christi his rursus impliciti superantur; facta sunt illis posteriora deteriora prioribus.

Accusant tepidum Martyres, accusant Doctores, Confessores, Apostoli, imò ipse Christus. Ita enim *S. Antonius Magnus Epist. 3.* Nunquid Patriarchæ non passi sunt pro nobis? aut Sacerdotes docuerunt nos? nunquid Prophetæ pro nobis mortui non sunt? aut Apostoli non sustinuerunt persecutionem pro nobis? *ut scilicet exemplum darent nobis, quod tepidi non imitantur.* Nunquid filius DEI dilectus non pro nobis omnibus mortuus est?

Et de his ipsis loquens *Epist. 5.* addit: Verè etenim filioli, quia nostra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, utuntur lacrymis atque gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris, & ob hoc cunctorum DEUS etiam irascitur super opera nostra maligna propter gemitum Sanctorum, sicuti iterum profectus & emendatio nostrorum animorum alacritatem præbet choro

ro Sanctorum. *Et S. Pachomius in Vitis PP. quasi ex dictis S. Antonii infert:* Nimis anima illa probabitur infelix, & omni lacrymarum fonte plangenda, quæ ſeculo renuncians iterum ſecularibus negotiis implicatur, & inutilibus curis dudum exuta rurſum redit ad duræ ſervitutis obſequia.

Sed horribilius, quod ſcripſit *S. Hieronym. in vita S. Paulæ*: Vidit Jacob ſcalam uſque ad cœlum tendentem, in qua Dominus deſuper nitebatur, aſcendentibus porrigens manum, & negligentes de ſublimi præcipitans.

In idem ferè recidit dictum *Abbatis Motois*: Nos quidem quaſi in tranquillo mari navigare videmur, (*Monachi*,) *& servi* DEI) ſeculares verò quaſi in periculoſis locis. Sed nos quaſi in die navigamus ſole juſtitiæ illuſtrati, illi verò in ignorantia quaſi per noctem. Sed frequenter contingit, ut ſecularis (*peccator*) in tenebroſâ nocte navigans, vigilans autem & clamans propriam navim ſalvet; nos verò, dum in tranquillo na-

vigamus, sæpiùs ex ipsa tranquillitate navim negligimus & perimus.

Quid quòd *S.Bern. Serm.1. de Convers. S.Paul.* tepidè viventes, neque sanctitatis exemplum præbentes, inter persecutores Christi numerat: Vereor, dilectissimi, ne quis fortè in nobis sit persecutor Domini, quoniam manifesta docuit ratio, impedire salutem esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Quid & is, qui exemplo suo ad remissiùs agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientiâ suâ & murmuratione molestat, en nonne & hic manifestè persequitur Christum?

S.Greg. Pastor. parte 3. postquam adduxit illa Apoc. 3. *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram DEO meo*, subjungit: Quia plena ejus coram DEO opera inventa non fuerant, moritura etiam reliqua, quæ gesta erant, prædicabat.

Rur-

Rursùs dum illud *Apoc. 3.* considerat, *Utinam calidus esses*, ita discurrit: Calidus est, qui bona studia arripit & consummat, frigidus verò, qui consummanda nec inchoat &c. *Infert*: Sicut ante teporem frigus in spe est, ita post frigus tepor in desperatione; qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit; qui verò post conversionem tepuit, & spem, quæ potuit esse de peccatore, subtraxit.

Et Moral. in Job. lib. 32. cap. 10. dicit, tepidum esse cibum Diaboli. Quasi ante os Behemoth mundum fœnum in terra atque infimis jacet, cùm & vita quasi innocens per mandatorum custodiam agitur, & tamen inter actionem, quâ bona ostenditur, cor ad appetenda sublimia non elevatur.

VIII. Debent omnia perfectissimè operari.

Ad perfectionem verò illamque maximam quomodo obligamur non in sola duntaxat oratione, sed etiam in aliis actio-

actionibus, docet *S. Thomas Opusc. 62.* Diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquam meliùs possumus, faciamus ex omni virtute Domini nostri JESU Christi, & cum omni desiderio triumphantis & militantis Ecclesiæ, & sub nomine Creatoris; quasi tota salus nostra, & omnis laus DEI, & universitatis utilitatis ex uno opere dependeat; quasi nunquam ad id opus reversuri, neque aliud postmodum facturi.

Passiones verò nostræ servo DEI juxta *S. Ambr. lib. de Arca Noe cap. 25.* ita debent menti, (id est rationi) ut olera rustico esse subjectæ. Postquàm verò hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.

IX. In fervore sæpe superantur in suo genere à filiis hujus mundi.

Clamabat olim *S. Bernard. Serm. 1. de altit. & bassit. cordis:* Magna confusio, magna valdè, quòd ardentiùs illi (id est filii

filii mundi) perniciosa desiderant, quàm nos utilia; citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam, &c. vilescunt eis omnia pro desiderio minòris fortè rei, quam alteri cœperunt invidere.

Ideò juxta mentem *B. Laur. Justin. lib. de Obedient. cap. 21.* surgent in judicio cum servis DEI, & ex sua cordis ambitione redargutione illos dignos esse ostendent, tanquam sollicitudine & affectione inferiores. *Et paulò post:* Filii mundi se faciunt gehennæ filios, ut attollantur honoribus, cæteros præcellant laudibus, atque terrenis ditescant opibus: servi DEI verò cœleste vocantur ad regnum, & adire penè recusant, &c. Meliùs illis fuerat viam veritatis non agnovisse, ac virtutum arduum iter non initiasse, quàm post agnitum & inchoatum retrorsum ire.

S. Theodorus Studita Serm. 17. in astat. Scelus est operarios carnales promptiùs opificia tractare, nos spiritualia studia segnes & dissolutos adire; illos sudore fluentes à laboribus non abstinere, nos contentionis Monasticæ fastidio duci.

Itaque

Itaque ſcelus eſt, ſi opifex aut mercator ob lucrum, miles ob ſtipendium plura ſuſtineat, quàm ego propter cœlum. *S. Chryſoſt. Hom. 79. ad pop.* Si DEUS noſtrum in orationibus torporem & negligentiam exquirat, & quòd in ejus conſpectu poſiti & orantes neque tantum ei præbeamus honorem, quantum Dominis ſervi, quantum Ducibus milites, quantum amicis amici, nunquam veniam habebimus: nunquid excuſationem aſſequi poterimus? non arbitror ego. Ubi videtur innuere, ejuſmodi torporem eſſe irremiſſibilem.

X. *Nec ſatis eſt mala cavere, niſi bona fecerimus.*

Sed licet nulla mala admiſerimus, ſi tamen bona nulla egerimus, minimè ſalvabimur. Audi *S. Baſilium Orat. Quod mandata præterimus.* Arborem plantavit quidam in vinea ſua *Luc. 13.* & venit quærens fructum ejus, & non invenit; & ait vinitori: jam tres anni ſunt, quibus venio quærens in ea fructum, nec invenio,

nio, excide illam, ne terram occupet. Alibi verò clariùs hoc ostendere judicium videtur, cùm dicit: Discedite à me maledicti, esurivi enim &c. Hoc enim non aliquid eorum, quæ prohibentur, sed eorum, quæ sunt imperata, negligentiam atque omissionem infert. Multa quoque similia invenimus, quibus facilè ostenditur, quòd non solùm, qui male faciunt, digni sunt morte, ac igne inextinguibili cruciabuntur, sed etiam, qui officium deserunt, ac benefacere minimè curant, cum eis unà damnabuntur.

Nec solùm ii, sed etiam qui, quod boni agunt, negligenter agunt, pœnas omninò dabunt. Scriptum est enim: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Atqui bonum ex integra causa fiat, necesse est. Itaque solùm illud est bonum, in quo nullus est defectus. Quàm verò paucula ejusmodi in nobis! Ideò humiliemur sub potenti manu Dei, & salutem nostram in timore & tremore operemur, satagentes certam facere vocationem nostram per bona opera. Al-

tus nobis præfixus est scopus. *Estote perfecti, sicut & Pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.*

XI. Debent practicè cognoscere Deum.

Hæc est vita nostra, ait Evangelium, *cognoscere Patrem DEUM, & quem misit, Filium.* Quid verò sit cognoscere, docet *Clemens Alex. lib. 3. pædag. cap. 1.* Qui Deum cognoscet, ei assimilabitur, & quàm paucissimis fieri poterit, indigens fiet, solus autem DEUS re nullâ indiget.

XII. Magnam debent quærere humilitatem.

S. Diadochus dixit & verè *c. 95.* Res est difficilis ad comparandum humilitas. At verò *S. Cypr. de Christi Nativ.* Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas. *S. Chrysost. in Acta Hom. 30.* Mater, radix, altrix, & fulcimentum, & vinculum bonorum est humilitas.

Sed quàm sit difficilis, cognoscitur ex suis effectibus, quos enumerat *B. Laurent.*

rent. *Justin. de compunct.* Stat ſubjectus, humilis, proſtratus omnibus, Deo devotus, benevolus fratribus, non contradicit, non murmurat, non iraſcitur, non reddit malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, accuſatus tacet, injuriis laceſſitus orat, tentationibus probatus ſuſtinet, laboribus gravatus miniſteria perficit.

XIII. *Vitia exciſa repullulant.*

Sed licet vitia exciderimus magno labore, & virtutes inſeruerimus, facillimè & vitia redeunt, & virtutes intereunt. In quo infeliciores ſumus Latomis, qui licet grandi labore lapidem quadrent, nunquam tamen ille ad priorem figuram redit. *S. Bernard. Serm. 58. in Cant.* Credite mihi & vitia putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur.

Et hoc quidem, licet aliquis omnia penitùs vitia ſuſtulerit; nam ſi partem reliquerit, etiam minimam, ait *S. Chryſoſt. Hom. 19. ad pop.* Ne mihi dicas, majo-

rem

rem partem expedivi, sed nisi totum emendasti, nondum te quidquam fecisse puta. Hoc enim exiguum neglectum, & omne reliquum destruit. Sæpiùs namque domos ædificantes homines & tectum imponentes, unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt.

XIV. *Judicia DEI admiranda, & occulta.*

Plorabat olim, ut *in Schola SS. Patrum fol. 180.* scribitur, B. Bertrandus Ord. S. Dominici, idque plorabat continuò, rogatus causam, dedit hanc: Cur non amarissimè fleam, cùm non certò sciam, an æternæ salutis compos sim futurus?

Idem deplorabat *S. August. Soliloqu. cap. 29.* Magna sunt judicia tua, Domine Deus, Judex juste, & fortis, qui judicas secundùm æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda, quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea, quoniam non securatur homo super terram; ut serviamus tibi piè & castè cunctis diebus

vitæ noſtræ in timore, & exultemus tibi cum tremore; ut non ſit ſervitium ſine timore, neque gaudium ſine tremore, & non glorietur accinctus æquè & diſcinctus, neque glorietur ante te omnis caro, ſed paveſcat & contremiſcat à facie tua, cùm ignoret homo, utrum amore, an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia reſervantur incerta.

Vidimus enim multos, Domine, & audivimus, quod utique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitùs quodammodò uſque ad cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum cecidiſſe uſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe ob impetum ferientis cautæ Diaconis, & eos, qui jacebant in pulvere terræ, à facie ſublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus vivos, morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos, qui inter filios DEI ambulabant, in medio lapidum ignitorum quaſi lutum ad nihilum fluxiſſe. Vidimus lucem obte-

obtenebrâsse, & de tenebris lucem processisse, quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum, filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.

XV. Quia nesciunt, an illis sint peccata dimissa.

Hoc valdè affligebat S. Ephrem Ecclesiæ Edessenæ Diaconum. Ideò seipsum reprehendit, & in hunc modum gemit: Resipui, & egi pœnitentiam, sed nescio, utrum mihi DEUS placatus sit. Precor & Sanctos, ut intercedant pro me, sed ignoro, an eorum preces suscipiantur. Lego enim apud *Ezech. 14. Neque Noe, neque Job, neque Danielem, si oraverint, exorabo.* Obsecro Prophetas omnes, sed metuo ne rejiciar, quemadmodum impius Israel. Sic enim loquitur DEUS ad *Jeremiam: Noli orare pro populo isto.* Quid igitur? donis placabo Dominum? at vereor, ne idem mihi quod Pharisæis dicat, me utilitatis meæ causâ id efficere. Si jejuno, hoc

non

non eſt, fortaſſe inquiet, jejunium quod elegi, Si pauperum miſerebor, oleum, forſan dicet, peccatoris non impinguet caput meum. Si Sacerdotes ejus amplector, fortaſsè dicet mihi: Quia Nazaræis meis vinum præbuiſti, deteſtabilis eris. At offeram illi munera, timeo, ne mihi dicat: Si obtuleris ſimilaginem, ſacrificium tuum inviſum eſt mihi. Quid quòd & in Eccleſiis ſedere vereor, ne me item ejiciat, aulam, inquiens, meam calcare ne audeas.

Undique igitur premor, fratres, & ad conſcientiam meam redeo; ſi impiè rurſum egero, væ mihi. Multum intereſt inter peccata, quæ ſcienter fiunt, utrum ea quis ſenſu, an cogitatione committat, quamvis utrobique conſenſum admittit. Et graviùs aliquando unus cognitione peccat, quàm alius opere, cùm hic pœnitentiæ locum inveniat, ille minimè.

Exemplis ſunt ea, quæ diximus, confirmanda, ne commentitia & inania videantur. *Cham* viſis pudendis patris ſui damnatus eſt: *David* autem, qui re ipsâ

ipsâ peccatum explevit, abſolutns. Qui *Core* , *Dathan*, *Abiron* conſenſerunt, cùm nihil omninò dixiſſent, aut feciſſent, à terra devorati, & vivi in infernum deſcenderunt *Num.* 16. Idem ferè contigit utrique *Quinquagenario* 4. *Reg.* 1. cum quinquagenis eorum militibus, qui ad accerſendum Eliam acceſſerunt. At totam Synagogam *Exod.* 32. quæ conflatum vitulum adoraverat , poſt diſciplinam DEUS liberavit. Et *Saul* 1. *Reg.* 13. contra præceptum Domini obtulit holocauſtum, & rejectus eſt: *Manaſſes* autem 2. *Paral.* 33. qui idololatriæ peccatum admiſerat , poſtquam pœnituit, gratiam invenit.


Peccavit *Achab* 3. *Reg.* 21. conſuetudine, & ſuſceptus eſt; peccavit *Achitophel* conſilio tantùm, & in peccato mortuus eſt. Suppetunt item alia exempla, quæ his poteritis adjungere. *Ruben* ſe patrem offendere non ignorabat, & cùm eſſet rejectus, poſt mortem ejus à peccato liberatus eſt. *Exod.* 32. *Simeon & Levi* graviter & ſcienter peccaverant, damnatique ad tempus denique veniam

impe-

impetraverunt. *Aaron* etiam ipſe conflato vitulo ſacrificavit, & tamen ab ea macula ablutus eſt. *Ophni & Phinees 1. Reg. 2.* in deſpectione permanentes perierunt.

Item in Evangelio *Petrus* perjurio ſe obſtringit, & Chriſtum abnegat, & tamen reſipiſcens veniam impetrat. *Elymas Act. 13.* adverſatur prædicationi, & ad tempus cœcitate affectus liberatur. *Ananias & Sapphira Act. 7.* Sacerdotibus ſimiles, quippe qui nullum quoque ipſi locum defenſionis invenerunt, quoniam in occulta quâdam deſpectione verſabantur. Qui Sathanæ fuit traditus à Paulo, *Ruben* ſimilis eſt, quia caſtigatus veniam obtinuit, at *Judas* &c.

In eundem ſenſum *Bernard. in Pſ. Qui habitat Serm. 2.* Homines cadere neceſſe eſt aliquando, dum in hoc ſeculo detinentur, ſed alii colliduntur, alii non, quia DEUS ſupponit manum ſuam.



CA-

CAPUT V.

GRAVE JUGUM SUPER PECCANTES.

I. *Miseria peccantis quoad animam.*

DUm peccas mortaliter, amittis DEUM, qui erat tuus; amittis æternæ hæreditatis jura, quod est multò plùs quàm totius mundi regna amittere. Fœditatem in oculis DEI atque Curiæ cœlestis immanem contrahis. *S. Ambr. de offic. c. 2.* Conscientia peccatoris graviùs fœtet omnibus sepulchris. Traditur peccator, ait *Tertull. lib. de fuga*, Diabolo tanquam carnifici in pœnam. Teste *S. Chrysost. Hom. 30. ad pop.* pejus est peccare quàm à dæmone obsessum esse. Teste *S. August. in Expos. Epist: ad Rom.* unus peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine voluptatis.

Pec-

Peccans suam voluntatem pluris facit quàm DEUM, atque ita bono infinito præponit; imò bono infinito præfert dæmonis voluntatem. Bestiâ efficitur ingratior, quæ suos genitores, & benefactores amat. *Cognoscit enim bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui.* Insuper devenit eò impietatis peccator, ut Christum sibi rursus crucifigat. Complexus aliqua horum *S. Chrysost. Hom. 23. ad pop.* dixit: Hominem malum pejorem esse bestiis & dæmone sentio.

Imò non quocunque dæmone, sed ipso Lucifero. Nam Lucifer se tantùm voluit DEO similem esse, non verò se prætulit: sed peccator millies viliorem creaturam, scilicet voluptatem propriam præfert DEO, & hanc præ Creatore eligit. Contrahit denique quendam in anima lethargum, quod in Jona cap. 3. exprimitur, ita ut nihil curet, etsi illum barathrum & mille pericula circummugiant. Omnia opera inficit, ut fœda & enormia DEO compareant. Sed verius id est mors quam lethargus, siquidem excitari non potest viribus naturæ.

Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. S. Augustin. in Psal.* 70. Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ; sicut vita corporis est anima, ita vita animæ DEUS est: quomodo si anima deserat, moritur corpus, ita si Deus deserat, moritur anima; atque ita putidissimum cadaver efficitur.

Ampliùs dixit *S. Bernard. Serm. de S. Benedicto*: Sicut caro porcina, cùm comeditur, nostræ adhæret carni, ut jam sit una caro; sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis unus cum eis efficitur dæmon.

II. *Quia per peccatum homo fit mancipium Diaboli.*

1. Pet. 2. *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Pugnamus cum dæmone tentante, si superat, efficimur servi & mancipia. *Can. de pœnit. cap. Convertimini.* Peccato Diaboli servi sumus. In illos, ut est in *Can.* 24. *Greg. q.* 1. *c. Miramur.* exercet potestatem tanquam

in

in pecore ſuo. Vidit hoc *apud Roſ. lib. 7. cap. 23.* Paulus Abbas, vidit enim peccatorem in nares inſerto circulo velut beſtiam circumduci. Heu quomodo peſſimus Dominus inſultat huic ſuo mancipio! Specialiter autem luxuriæ adſcribit *S. Greg. M. lib. 6. cap. 2. Moral.* quòd hominem in ſervitutem diaboli redigat, & quidem irreparabiliter: ita enim dicit, ubi adducit illud Gen. 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, eò quòd caro ſit;* additque: Caro quippe homo efficitur, quando ſenſui carnis ratio ſubjugatur.

III. Si alios ſcandalizent, gravi ſubjacent judicio Dei.

Agnovit hoc S. Melania, *ut in Vitis PP. lib. 3. ait Dydimus*, quæ dixit: Elegi magis memetipſam ſepulchro includere, quàm ſcandalizare animam ad imaginem DEI factam.

S. verò Bernard. Epiſt. 6. Non ignoras certè, quid dixerit, (nam mihi hinc fortaſſe non crederes) expedire ſcandala

facientibus demergi potiùs in profundum maris. Cur hoc dixit? nisi quia significare voluit, tam gravia illos in posterum manere tormenta, ut eis comparata mors temporalis nec pœnalis videatur, sed commoda.

Majus quid est, quòd pro scandalizante nemo orat. *1. Reg. 2. Si peccaverit vir in virum, placari ei Deus potest, si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* In quem locum *S.Gregor. lib. 2. in 1. Reg. cap. 3.* Quicunque aut suam, aut alterius hominis fidelis animam ad peccandum pertrahit, in Deum peccare convincitur, quia ei sua propria auferre nititur.

Ad idem refert *lib. 6. Epist. 4.* dictum *Matth 5. Si offers munus tuum* &c. Qua in re pensandum est, cùm omnis culpa oblato sacrificio deleatur, tantum est malum scandali in alieno corde generati, ut ab eo, qui peccaverit, nec ipsum sacrificium Deus accipiat, quod peccatum delere solet.

De scandalo, quod oritur ex detractione, ita habet **Bernard.** ***Serm. de tri-***

plici

plici custodia: Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficit flatu uno. Nunquid non lancea est lingua ista? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Psal. 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Neque verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed exanime facit fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus & pedibus illis consummatio Judaicæ impietatis inflixit. Nisi enim hujus, quod nunc patitur & transfoditur, corporis sui vitam illius corporis vitæ suæ prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset.

IV. *Per peccatum homo sacrificium offert dæmoni.*

De ebrietate ſic locutus eſt *S. Auguſt. Serm.* 231. Tolerabilius eſt in carne mori, quàm in anima per ebrietatem interfici. Neque enim mentitur Spiritus Sanctus per Apoſtolum dicens: *Nec ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Quicunque me contempſerit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio ſuo alios adjurare, vel cogere voluerit, & pro ſe, & pro illis in die judicii reus erit. Et quia, quod pejus eſt, aliqui etiam Clerici, qui hoc deberent prohibere, ipſi cogunt bibere aliquos plus quam expedit, amodò incipiant & ſeipſos corrigere, & alios caſtigare, ut, cùm ante tribunal Chriſti venerint, nec de ſua, nec de aliorum ebrietate incurrant ſupplicium. Qui enim hoc in ſuo, vel alieno convivio fieri acquieverit, diabolo ſe ſacrificaſſe non dubitaverit.

Sed ante illum hæc eadem docuit *Tertullianus:* Avaritiam vocat Apoſtolus *idolorum ſervitutem, calicem dæmoniorum,*

rum, in quo illi sacrificatur. Alia peccata vocat *Bernard. Epist. 2.* Calix dæmoniorum est superbia, calix dæmoniorum detractio & invidia, calix dæmoniorum est crapula & ebrietas.

Tertullianus lib. de Monogamia luxuriam damnabiliorem esse censet, quàm si quis adactus sacrificetur diabolo. *Et sic ait de illis, qui in tormentis lapsi sunt in sacrilegam immolationem*: Utique tunc carnem excusari magis decet, quæ in prælio cecidit, quàm quæ in cubiculo, quæ in equuleo succubuit, quàm quæ in lectulo, quæ crudelitati cessit, quàm quæ libidini, quæ gemens devicta est, quàm quæ sudans. *Et paulò post*: Propone, quòd utraque non sustinuerit in finem, & invenies ejus causam honestiorem, quæ sævitiam, quàm quæ pudicitiam sustinere non potuit.

Quàm dolenter alloquitur lapsam in peccata animam quandam *Ambros. ad Virg. lapsam cap. 2.* Eras virgo in paradiso DEI, utique inter flores Ecclesiæ, eras sponsa Christi, eras templum DEI, eras habitaculum Spiritus Sancti, & cum

dico toties *Eras*, necesse est, ut ingemiſcas, quia non es,quod fuiſti. Incedebas in Eccleſia tanquam columba illa, de qua ſcriptum Pſal.67. *Pennæ columbæ deargentata &c.* Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum ſincera conſcientia procedebas. Quæ eſt iſta ſubitanea converſio? Eras tanquam ſtella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimeſcens. De DEI virgine facta es corruptio Sathanæ, de habitaculo Spiritûs S. tugurium Diaboli, &c. Aſpice, quis Sanctorum aut quæ Sanctarum approximare tibi non horreat? &c. O miſerum Sathanæ mancipium! O naturæ humanæ opprobrium! O inferni ludibrium!

Sed etiam Epiſt. 36. luxuriam cum idololatria conjungit, cùm dicit: Nemo ſe luxui committit, niſi qui recedit è præceptis veri DEI; ubi autem quis luxuriari inceperit, incipit deviare à fide vera &c. Ergo qui non ſequitur Dominum DEUM ſuum, ingurgitat ſe luxuriæ ac libidini, peſtiferis corporis paſſionibus. Qui autem ſe ingurgitaverit, atque

atque immerserit hujusmodi volu: bris, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare & bibere *Exod.* 32. & fieri sibi Deos poposcit.

Et *Serm.* 17. Idoli portio est inebriare vino mentem, ventrem cibo distendere, salutationibus membra torquere, & ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare quid est Deus.

Sed *S.Cyprianus* ebrietatem etiam idololatriæ præfert *Libro de Bono pudicitiæ:* Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem, an hoc levius crimen esse dicimus, quàm immolare Baccho? Mihi videtur multò gravius, si rem rectâ ratione volumus expendere. Cùm Tyrannus dicit: Abnega Christum, & immola Jovi, & esto amicus noster, aut morere; sæpè lingua negat corde reclamante, & manus adolet thus, cùm animus intùs adoret Christum. At Sathanas dicit: Offer sacrificium Mammonæ, & Christo nuncium remittito, nec dicit morere, sed oblecta oculos tuos &c. & tamen hîc spontè submittis genua Sathanæ, & abnegato Christo te totum illi mancipas. O fœ-

dam defectionem ! ô turpem idololatriam! ô iniquam permutationem!

Quocirca minatur Deus 1. Reg. 8. *Et clamabitis in die illa à facie vestri Regis,* (idoli,) *quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.*

De peccato detractionis, quod verè sit dæmonis sacrificium, audi *Bernard. Serm. 24. in Cant.* Convenientibus vobis in unum non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare & bibere calicem dæmoniorum, dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt.

V. Est certa mensura peccatorum, etsi ignota nobis.

Qui operatus est omnia in pondere & mensura, etiam statuit peccatorum numerum, quem ubi miser attigeris, non apponet misereri DEUS. Sed hoc terribile negotium explicet nobis *S. Gregor. 25. Moral. 9.* Justo Dei judicio augeti culpa permittitur, ut ad feriendum al-

tiùs

tiùs quandóque cumuletur. Hinc 1. Theſſ. 2. *ut impleant peccata ſua ſemper.* Pſal. 69. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, ut non intrent in juſtitiam tuam.* Hinc de Domino dicitur: *Immiſſiones per Angelos malos viam fecit ſemitæ iræ ſuæ.* Cor prioribus peccatis aggravatum juſtè permittit etiam ſubſequentibus malignorum ſpirituum perſuaſionibus falli, quòd cùm dignè culpa trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur. Unde & iræ ſuæ Dominus viam fecit de ſemita; latior enim eſt via quàm ſemita. *Geneſ. 15.* Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum. *Deut. 32.* Ex vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha, uva eorum uva fellis, & botrus amaritudinis in ipſis, furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis. Nonne hæc omnia congregata ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? in die ultionis reddam eis. Quàm multa eorum mala enarravit? & tamen illicò adjungit: In tempore quo lapſus fuerit pes eorum. Ecce atrociſſima il-

lorum facinora deſcribuntur, & tamen ad ultionis diem adhuc ſequens lapſus aſpicitur; ad diem nempe ultionis, quem ſibi juſtitia DEI præfixit poſt certum numerum & pondus peccatorum, quo eorum culpæ cumulentur. De quo ipſo monuerat *S. Ephrem Paræneſ.* 47. Vide, ne præſcriptum tempus impleatur, aliudque tempùs non inveniamus.

VI. Peccatum multa mala affert in corpore & temporalibus.

Certè judice *S. Chryſoſt. Hom.* 5. *de pœnit.* ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt paſſiones oriuntur. *S. Hieronym. Epiſt.* 2. *ad Heliod.* Noſtris peccatis Barbari ſunt fortes, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus.

Quia lex apud Deum inſuperabilis, quam *S. Gregor.* 9. *Moral.* 17. his verbis exponit: Delinquenti Dominus non parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit: aut enim ipſe hoc homo in ſe pœni-

pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit.

DEUS enim summa est sanctitas, itaque peccato summè adversatur, & si hoc verum de omni peccato, multò magis de nostro. Peccavit Lucifer, sed pro illo Christus non fuit passus, nunquam illi fuit remissum, nunquam vidit aliquem ob peccatum punitum, quod in nobis evenit, & aggravat: quocirca necesse est, ut vel nos puniamus in nobis ipsis, & ita juxta condignum puniamus, ut nihil supersit pœnæ, vel Deus puniet; sed terribile est incidere in manus Dei viventis.

Et quidem juxta *S. Chrysost. Hom. 46. ad pop.* maximè oportet timere peccantes, cùm grave patimur nihil. Cùm enim particulares exigit pœnas DEUS, levem nobis fecit ex his retributionem: cùm autem in singulis peccatorum longanimiter agit, ad magnam in talibus permanentes ultionem servat.

Nam peccatum non tantùm postulat, sed etiam extorquet vindictam. Audiamus de hac re *S. Massiliensium Episcopum*

pum Salvianum lib. 1. de gubern. Genes. 18. clamor Sodomorum multiplicatus est nimis. Pulchrè clamorem in se habere dixit peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit ad cœlum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet quia cædi aures suas Deus dixit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor & quasi grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur.

Hoc ipsum *idem S. Pater* prosequitur *ibid. lib. 4.* Vim facimus pietati DEI, ac manus quodammodò afferimus misericordiæ suæ; ac sicuti illi solent, qui munitissimas urbes obsidere, aut firmissimas arces urbium capere, ac subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum, & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandum misericordiam DEI omni peccatorum immanium scelere quasi omni telorum genere pugnamus. *Isaiæ 59. Ecce omnes ignem accenditis, & vires præbe-*

betis flammæ; ingrediemini in lucem ignis vestri, & flammæ, quam accendistis.

VII. Hæc ipsa mala etiam peccatum veniale ex parte inducit.

Universim de quocunque peccatore dixit *S. Cyprianus de cardin. oper. Christ.* Non pertinet ad te, Domine, nec ex tuis est, qui te non diligit, nec diligit, qui te scienter offendit. Et *S. Basil. proëm. in reg. fus.* ita argumentatur: Quis est filius, qui propositâ ipsi parentis gratiâ, cùm in rebus majoribus ipsi obsequatur, in iis, quæ levioris momenti sunt, prudens (hoc est, sciens, volens) ipsum velit offendere, ac non multò magis illorum Apostoli verborum meminerit: *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo obsignati estis.*

Itaque, qui scienter etiam in parvis peccat, ad Christum non pertinet, & Spiritum Sanctum contristat. Unde meritò *Cassianus coll. 14. cap. 11.* Omnis co-

cogitatio non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à DEO quantumcunque discedens à perfecto viro immundissima fornicatio deputatur. Et *S. Dorotheus Serm.20.* Longè meliùs est corpus tuum & omnia perire simul, quám lædi animam, etiam in re minima.

Imò *S. Hieronym. Epist. 14. ad Celant.* ait: Nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam desiderat, quod jussum est, quàm quis jusserit, nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem, quæ infinita est.

Ipsa boni dilatio, non sub gravi peccato impetrati, certè valdè venialis est culpa. Audi tamen de ea *S. Bern. Epist. 108.* Adverte hanc dilationem, quam tu tibi indulsisti, esse injuriam DEI; non esse annum placabilem DEO, sed discordiæ cum DEO seminarium, iræ somitem, nutrimentum apostasiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat, qui DEO solet vomitum provocare.

Si tantum malum eſt differre bonum, quantum putas malum eſt ipſum patrare malum, & malum contra infinitum Bonum? & licet illa verba S. Bernardi directè impetant eum, qui differebat ingredi ſtatum religioſum, ad quamcunque tamen boni dilationem optimo jure extenduntur. De venialibus certè loquitur *S. Auguſtin. Homil. ult. ex 50.* quod ſint velut ſcabies, quò plura ſunt, necant, (ſcilicet diſpoſitivè ſicut morbi) & noſtrum decus exterminant.

S. Cæſar Arelatenſis aſſerit, quòd ſint puſtulæ, & quaſi horrendâ ſcabie replentia animam, & horrendam facientia, & ita mentis noſtræ oculos infuſcent, ut lumen Divinum non percipiant. Ita *S. Bernard. de converſ. ad Cler. cap. 25.* ſentit: Odibilis macula, quæ beatam adimit nobis viſionem, & execrabilis negligentia, quâ diſſimulamus interim illius oculi (ſcilicet interni) mundationem.

VIII.

VIII. *Alii effectus peccatorum venialium.*

Ne venialia contemnamus, attendamus, quid dixerit *S. Bernard. Serm. 1. de Converſ. S. Pauli*: Cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, ſi ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo, levia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus minimíſque peccatis. Hæc enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia irremiſſibilis eſt.

Et qui negligunt venialia, ruere in mortalia permittuntur. Ita *S. Gregor. p. 3. paſtor. cap. 14.* Qui peccata minima flere, ac devitare negligit, à ſtatu juſtitiæ, non quidem repente, ſed partibus totus cadit. *S. Iſid. Hiſpal. lib. 2. ſentent. cap. 9.* Judicio divino in reatum nequiùs labuntur, qui diſtringere peccata ſua minora contemnunt.

Et terribile eſt, quod *S. Gregor. p. 3. paſtor.* reliquit: Nonnunquam deteriùs in parva quàm in magna culpa peccatur:

tur: major enim quò citiùs agnoſcitur, eò etiam celerius emendatur, minor verò dùm quaſi nulla creditur, eò pejùs quò & ſecuriùs in uſu retinetur.

Certè leve eſt in oratione mente diſtrahi, dùm oratio non ex præcepto. At illud quanti fecit *Caſſianus coll. 13. cap. 27.* Non injuſtè non ſolùm levi peccato, ſed etiam graviſſimo impietatis crimine adſtringitur, qui precem Domino fundens, ſubitò à conſpectu ejus quaſi ab oculis non videntis, nec audientis, cogitationis improbæ vanitatem ſecutus, abſceſſerit.

Leve eſt mendacium, quod in nullius damnum vergit. At *S. Dorotheus Serm. 9.* dixit: Nullus mendax adhærere unquam Deo, aut uniri poteſt; quia ut ait *S. Bernard. Serm. 59. in Cant.* non poteſt virtus pariter cum vitiis creſcere. Imò *S. Hieronym.* cùm numerando alia vitia etiam mendacium recenſuiſſet, aſſeruit: Quoties vitiis vincimur, DEUM negamus.

Veniale peccatum etiam quodammodo ad fœdus cum dæmone diſponit. Ita enim

enim *S. Macarius Homil. 27.* universim de peccatis loquitur: Ex proposito (id est, deliberatè) vitiosi sunt hi, qui suam ipsorum voluntatem vitio tradiderunt, delectantur cum illo, amicitiamque contrahunt; hujusmodi cum Sathana pacem habent.

Venialia peccata etiam aliquomodò irremissibilia sunt, si voluntariè fiant. *S. Chrysost. Serm. de Cant. David.* Qui volens delinquit, vel spontè furit, dæmon est, neque veniam ab hominibus, neque misericordiam promeretur.

IX. Venialia peccata præparant ad mortale.

Quomodo à venialibus ad mortalia peccata fit descensus, explicat *S. Joan. Chrysost. Hom. 19. ad pop.* Exiguum neglectum & omne reliquum destruit. Sæpiùs namque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis idem evenire, quis cernere non possit? etenim parva in illis facta scissura non re-

resarcita magnam facit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties evenit; etenim si illi vel minimum cœperint ingressum, totum introducunt fluentem.

Et *Cassianus lib. 5. instit. cap. 20.* de venialibus gulæ peccatis ita loquitur, ut ad reliqua extendi possit: Qui gulæ superfluos inhibere appetitus non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ extinguere valebit? & qui non quivit passiones in propatulo sitas perfectásque compescere, quomodo occultas, nullóque teste prurientes poterit debellare? *S. Isidor. Hispalens. lib. 2. sentent. cap. 19.* Experimento, vel contemptu minorum peccatorum majora committuntur.

X. *Mortale peccatum trahit in aliud mortale.*

Hoc in peccato, maximè mortali, pessimum est, quia non diu solum est. *S. Gregor. Homil. 11. in Ezech.* Omne quòd priùs committitur, peccatum est, sed si citiùs pœnitendo non tergitur, justo

dicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare, quod fecit peccatum incipiat peccato cumulare,

Idem in Ezech. Hom. 9. Districta ſunt omnipotentis DEI judicia, & qui peccatorem expectat diu, ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc, ubi graviùs impingat. Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, eſt & cauſa peccati, aut peccatum ſimul, & cauſa, & pœna peccati. Hoc autem nobis cum tremore conſiderandum eſt, quomodo juſtus & omnipotens DEUS, cùm præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit, ut cœcata mens etiam in aliis labatur. Unde Moyſes ait Geneſ. 15. *Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum.* Et Pſal. 68. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem, ut non intrent in juſtitiam tuam.* Et Oſeæ 5. *Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis tetigit ſanguinem.* Sanguis enim ſanguinem tangit, quando peccatum

tum peccato additur. Apocal. 22. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.*

XI. Facit, ut Deus neſciat peccatorem.

Dum verò in hac miſeria verſatur peccator, incurrit quandam oblivionem apud DEUM. *S. Gregor. in 1. Reg. cap. 4.* Unusquisque ibi per peccatum projicitur, ubi occultatur, & quaſi perditus ubi ſit neſcitur, quando juſtitiæ lucem, in qua DEUS poſuit eum, dereliquit. Hinc eſt, quòd in paradiſo poſt peccatum primum hominem quærit: Adam ubi es? hinc de mortuo Lazaro requirit: ubi poſuiſtis eum?

XII. Merita deſtruit, mortificat, mala revocat.

Quidquid antecedenter boni fuiſti operatus, ubi hoc, in peccatum incidiſti, amiſiſti. Ita *Baſil. Epiſt. ad Chilonem*: Qualem te invenio, talem judico. Ubi Moyſis tot

tot pro DEO ſumpti labores? nonne momento ad aquam contradictionis, quæ illi ingreſſum in terram promiſſionis prohibuit, periêrunt?

Quæ opera exiſtens in mortali peccato operatur, non ſunt ad vitam æternam. Hoc oſtendit *S. Arſenio* ipſe Dominus per viſum hominis, qui haurit aquam de lacu, & mittit in collectaculum, ex quo alia parte effluat aqua. Sic qui aliqua bona operatur, ſed quia mala etiam per peccata operatur, ideò pereunt, & delentur etiam bona opera, quæ facit. *In ſacculum* nimirum *pertúſum*, ut hoc ipſum aliâ phraſi eloquitur Sacra Scriptura, *mittit pecuniam ſuam*, Aggæi 1.

XIII. Unius peccatum tota ſæpe regna evertit.

Peccati malum non in ſolo peccante ſiſtit, ſed ſæpe in totam communitatem, cujus ille pars, refunditur quoad pœnas temporales, ſicut & meritum quoad beneficia hujus temporis. Ita *Geneſ. 20.* propter Pharaonis adulterium in Saram deſti-

destinatum non tantùm Pharaonem flagellavit Deus plagis magnis, sed & domum ejus. Ob peccatum Giezi lepra ad posteros manavit 4. *Reg.* 5. Hinc *S. Basil. Hom.* 8. *in divites avaros*: Per paucos mala ærumnæque ad universum populum sæpius perveniunt, & unius ob noxam tota gens aliquando evertitur.

Et hoc non raro accidit. *S. Aug. lib.* 9. *contra Julian. cap.* 2. Quàm multa sunt Divinarum testimonia scripturarum, quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit? Cur enim peccavit Cham, & in ejus filio Chanaan vindicta prolata est? cur pro peccato Salomonis filius ejus diminutione regni punitus est? cur peccatorum Achab Regis Israel in ejus posteros pœna dilata est? DEUS dixit Exod 20. *Ego sum Dominus DEUS tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*

Et hoc ipsum non solùm propter mortale, sed etiam ob veniale peccatum accidit. Ita 4. *Reg.* 24. dat DEUS in direptionem regnum Israëliticum propter vanam glo-

riam Ezechiæ, ex qua thesauros suos Legatis Babyloniis ostentavit, qui tamen aliàs Rex fuit sanctissimus. Vide ergo, ô peccator, quis contra te rugitus populorum, quæ accusatio consurget in die judicii, cùm palam fiet plurimis, quòd propter tua peccata vapulârint; & quam pœnam de te postulabunt?

Verùm ob unius peccatum non solùm in corporalibus bonis, sed etiam in bonis æternis multi (quod est longè horribilius) plectuntur, dum illis gratia subtrahitur efficax. Prædixit hoc fore Nathan ob peccatum Davidis, nam non tantùm dixit, quòd *non esset recessurus gladius de domo ejus*; sed hoc addidit: *Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.* Quæ erant peccata Absolonis & aliorum futura.

XIV. Be-

XIV. Beneficia promissa avertit peccatum.

Hinc etiam oritur, ut beneficia, quæ Deus destinaverat, imò promiserat, non sequantur. Patet hoc *Josue* 7 ubi post peccatum Achani Deus cladem in populum suum immisit, & addit: *Non ero vobiscum*; & tamen *Josue* promiserat, *sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. S. Chrysost. Hom. 80. ad pop.* Deus cùm aliqua dare bona pollicetur, indignos autem videt effectos, tunc sua revocat promissa.

Et hoc contingit etiam propter peccatum veniale. Nam Deus promiserat Davidi 2. Reg. 7. *Requiem tibi dabo ab omnibus inimicis tuis*; & tamen, postquam numeravit populum, in quo juxta DD. non excessit venialem culpam, etsi millia septuaginta virorum fuerint illi peste sublata in pœnam hujus peccati, etiam bella sunt promissa.

XV. Reliquæ peccati immanitates.

Sed si placet intueri statum animæ Diabolo per peccatum subjectæ, præ ocu-

oculis habeamus verba *B. Isaiæ Abb. Orat. 25.* Sicut quando ab hoſte capitur civitas , imagines prioris Regis evertit, leges condit, portas veteres claudit, novas aperit &c. ſic etiam anima poſt ſuſceptum Baptiſma (in aqua, vel remiſſione peccatorum; nam latiſſimè ſumit nomen baptiſmatis hîc Sanctus pro abſolutione ſacramentali) à diabolo expugnata, qui eam prò libidine ſua evertit, atque vaſtavit , exturbata veri Regis imagine, ſuam erexit, fecitque, ut miſera anima ſeculi iſtius curis & ſollicitudinibus vacaret.

Deſtruit itaque hoſtis per peccatum in anima gratiam DEI, quæ eſt veri Regis inſigne, virtutes infuſas, dona Spiritûs S. imò ipſum Regem verum in patibulum agit. Ita enim *B. Petrus Damian. Serm. 48.* fieri *ex S. Paulo* docet, atque monet, ne fiat: Vide ne rurſus tibimetipſi crucifigas Filium DEI, & hoſtem tui habeas , rurſus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui reſurgens ex mortuis jam non moritur &c. Cum enim elevas te, & ambulas collo

ex-

extento, caput Altiſſimi ſpinarum multiplicatè contorques; cùm ponis oculos tuos, ut non reſpicias cœlum, & voluptuoſis carnis tuæ motibus moveris & traheris, durioribus clavis pedes Omnipotentis transverberas; ab inferiori infers ſupplicium, dum momentaneâ voluptate voluntatem Domini excludis. Cùm proſperaris in iniquitate, felici curſu rerum peccata peccatis cumulans, clavum ponis in illius dextra, quem de ſuis bonis perſequi non deſiſtis. Cùm verò abundantiori triſtitiâ abſorberis, & tuam impietatem pietati DEI præponderas, ſiniſtram ejus transfigis, & conceptum furorem furore tuæ deſperationis amplificas. Denique cùm præſumis defendere, quod feciſti, lancearum ictum lateri Salvatoris intorques.

Hoc verò poſito ſubjungo decretum *S. Gregor. lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.* Rationis lex exigit, ut qui Conditorem perſequitur, veniâ defraudetur. Cujus prece illud peccatum indulgetur, quod in ipſum indultorem committitur? Quis pro eo omnipotentem patrem obſecrat,

qui coæternum Unigenitum in mortem damnat? Et *lib. 2. in cap. 3.* Peccare & de DEI miſericordia præſumere, pelago ejus juſtitiæ eſt exponi.

Imaginem hîc peccatoris, quam Deus *S. Brigittæ* oſtendit *lib. 4. Rev. cap. 57.* apponamus. Ita hæc Sancta inquit: Videbatur mihi unus homo, cujus oculi eruti erant, ſed tamen dependebant ad maxillas cum duobis nervis, hic habebat aures ſicut carnis, nares ſicut equus, os ſicut ferociſſimus lupus, manus ad modum bovis maximi, pedes ſicut vulturis. Una quoque mulier videbatur juxta eum ſtare, cujus crines erant ſicut vepres, oculi erant in occipite, aures abſciſſæ, nares plenæ ſanie & & putredine, labia ſicut dentes ſerpentis, in lingua erat aculeus venenoſus, manus erant ſicut duæ caudæ vulpinæ, pedes ſicut duo ſcorpiones.

Dum Sancta dubitaret, an eſſent iſti dæmones, reſpondit Chriſtus, homines eſſe, ſed coram DEO apparent à diabolo in animabus ſuis taliter deformes facti.

Et

Et exponit : Iſti duo oculi ſunt eruti, quia non fecit opera bona. Habet aures caninas , quia ſicut canis non tantùm nomen Domini neque alterius curat, quantùm nomen ſuum proprium, quando nominari auditur; ita etiam iſte non tantùm curavit de honore nominis D E I, quantùm de honore nominis proprii. Habet etiam equinas nares, nam ſicut equus, qui ſolutus eſt, ejecto ſtercore ſuo delectatur nares apponere illi; ſimiliter iſte facit, cùm perpetrato peccato de ipſius fœtore dulce ſibi videtur cogitare oblectamentum.

Et reliqua ſic explicat: Os lupi inſtar eſt ob avaritiam inſatiabilem; manus inſtar pedum bovis, quia in ira omnia conculcat; pedes vulturis, quia, quod rapuit, non intendit reſtituere: mulieris verò capilli ſunt ſpinæ , quia cogitationes illius ſunt, quomodo placeat mundo, non autem DEO; oculi in occipite ſunt, quia ad tranſitoria ſunt converſi; aures abſciſſæ ſunt, quia Dei verbum non audit; nares plenæ putredine ſunt, quia ſicut odorem bonum alii ad fortifi-

candum cerebrum attrahunt, ita iste spurcitias; os serpentinum est, ex quo prodit aculeus venenosus; manus vulpium caudæ ob levitatem actionum sunt.

CAPUT VI.

GRAVE JUGUM SUPER POENITENTES.

I. Quia sæpè fit pœnitentia ludicra.

HOc punctum è parabola quapiam facilè percipiemus. Fingamus: Occidit quispiam nefariè & crudelissimè Regi potentissimo, ac suo maximo benefactori optimum, ac dilectum unicè, unicúmque filium. Deprecatur: pœnitet me vehementer hujus facinoris, ô Rex optime, & ut videas, quàm pœniteat me vehementer, in satisfactionem unam tibi stipulam, vel paleam offero. O indignitas! illudit offen-

ſenſo qui taliter ſatisfacit. Sed annon etiam nos occidimus Chriſtum Domini? & illum optimum, dilectum unicè, unicumque Chriſtum? quid verò damus? quâ ſatisfactione dolorem teſtamur? unius ſcilicet oratiunculæ, idque tepidiſſimâ prolatione.

Dicat rurſus ille ſicarius: Amo te, mi Rex, & ſummè amo. Vis ſcire quantùm? minùs certè quàm hoc lutum, hanc bilem à me vomitu rejectam. Nam mallem te mori & occidi ab aliquo, quàm ut mihi aliquis tollat hoc lutum. Scilicet citiùs peccabo mortaliter, quàm auri, argenti, meæque voluptatis jacturam patiar, iram & bilem meam deſeram: & licet aliter hoc oretenùs dicam, experire, annon ita reipsâ faciam. Nemo mihi tollat meam bilem, quam collegi contra inimicum; nemo perſuadeat, ut petenti propter te condonem; & tamen te ſummè amo. Audite hæc cœli, & obſtupeſcite vehementer.

II. Sæpè inefficax propoſitum.

Jam verò ad omnem dolorem, qu peccata aboleat, requiritur propoſitum

efficax de cætero non peccandi. Iratus eſt quiſpiam alteri, & proponit irâ eum proſequi, en prodit ſe in effectu inefficacem propoſiti: deprecatur alter, hic non cedit; blanditur alter, hic dureſcit; ſatisfactionem ille ſpondet, hic abnuit; agit ille per amicos, reſpuit; memorat antiqua merita, ecce iſte contemnit. At verò propoſuit vitare peccatum, nemo ita urget, nemo æquè ſollicitat, nemo lucra, nemo vetera merita, damna futura, & pœnas proponit, ſed occaſio ſe minima offert, & ecce ab illo efficaci propoſito abit.

Magis ergo ſumus fidi in obſequio dæmonis cum præmio gehennæ, quàm in Chriſti famulatu cum mercede cœli. Miſeros nos! ſi dæmon Chriſto improperabit, ut eſt apud *S. Cyprianum*: O Chriſte, non ſolùm dum peccabant, te mihi poſtponebant, ſed etiam dum reconciliabantur, tibi nolebant attingere menſuram, ut eadem probarent ſe tibi efficaciter ſtatuiſſe, quà mihi probârunt ſua propoſita.

Proponit alter conſequi dignitatem, quia efficaciter proponit; patitur repul-

ſam

ſam, non ceſſat; elargitur ſuas opes in munuſcula ob ſpem dubiam, comparat amicos, ſuſtinet omnia. En quanta in illo firmum atque efficax propoſitum operatur!

At hîc oppones, naturam eſſe pronam in malum, & parem naturæ conſuetudinem. Oppono etiam, quod dixit *S Joan. Clim. gr. 4. coll. 11.* Conſuetudo plurimùm valet, & cuncta ex eâ pendent, eámque ſequuntur; omninò longè ampliùs valebit in bonis, cùm potentiſſimum habet adjutorem Deum. An gratia inferior eſt viribus, quæ ad bonum datur?

III. Pœnitentia debet eſſe digna.

Non dictum eſt, *Facite fructus*, ſed *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Legem ſcripſit S. Apoſtolus Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* S. *Greg. Hom. 10. in Evang.* Sciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit,

huic jure conceditur, ut licitis utatur, ſicque pietatis opera faciat, ut tamen, ſi voluerit, ea, quæ ſunt mundi, non relinquat: at ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſsè, quod eſt gravius, in adulterium lapſus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere, quantò ſe meminit & illicita perpetrâſſe.

Certè ille innocentiſſimus pœnitens Sanctus Franciſcus, ut de eo S. *Bonavent. vita c. 10.* ait, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat &c. nec malè, quia, ut *S. Greg. ad S. Auguſtinum Epiſcopum Anglorum*, ſcripſit *reſp. ad interrogat. 10.* bonarum mentium eſt ibi etiam aliquomodò culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt. Et *S. Baſil.* docet *in Pſal. 29.* Non cuilibet animæ gaudium à DEO ingignitur, ſed ei, quæ peccatum ſuum vehementi luctu, & aſſiduâ lamentatione ploraverit, veluti ſi ſeipſum mortuum lugeat, qui ſanè fletus poſtremò in gaudium vertitur.

Idcircò *S. Bernard. Serm. in feſto SS. Petri & Pauli.* Multi pœnitentiâ ducti ſunt, ſed infructuoſâ, quoniam pœnitentia eorum reprobata eſt, ſicut & prior culpa.

Con-

Conjicio causam, dum lego *Tertull. lib. de pœnit.* Num in coccino & tyro (hoc est, in purpura) pro delictis supplicare decet? Cedò acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & bissulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis. Si quid ficti nitoris, si quid cocti ruboris est, in labia aut genas urgeat. Præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimíve secesſûs, adjicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defecatam senectutem quamque vini. Quis interrogârit, cur animæ largiaris? Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire, itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut DEUM reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Itaque &c.

IV. *Modus pœnitendi durus.*

Sic instituendam docet pœnitentiam *S. Ambr.* scribens *ad lapsam cap. 8.* Ergo tu hæc mecum cogitans, & mente retractans, proprii facti tui ipsa esto judex crudelior. Inprimis omnis cura vi-

tæ

tæ hujus interimenda tibi eſt , & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut es, quomodo poſſis reviviſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens ac membra ſingula dignâ caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Defluant oculi lacrymas, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicæ. Denique totum corpus incuriâ maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat &c.

Talem pœnitentiam ab una delicatula perſona exigit hic Sanctus. *Tum addit*: Talis vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans, audebit ſperare etſi non gloriam, certè pœnæ evacuationem.

O mi DEUS, poſt tantam pœnitentiam nondum promittit gloriam hic S. Doctor. Sed & *S. Cyprianus Serm. de lapſis*: Lamentari eum putamus toto ex corde, jejuniis, fletibus, & planctibus Dominum deprecari, qui epulis affluentibus paſtus poſtridie cupiditates ſuas eructat? Qui hilaris ac lætus incedit,

quo-

quomodo mortem ſuam defleat? Anima, in quacunque hora peccaverit, morte morietur. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter ac fleres, facie incultâ, veſte mutatâ, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſer perdidiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis?

Qualia verò bona pro peccatis debeamus præſtare, docet *S.Gregor. in 1. Reg. lib. 2. cap. 5.* A peccatorum noſtrorum tunc obligatione ſolvimur, cùm bona, quæ pro eorum impendimus abſolutione, malis admixta non ſunt. 1. Reg. c. 7. *Si in toto corde veſtro convertimini ad Dominum Deum, auferte Deos alienos, liberabit vos de manu Philiſtiim.* Audiant ergo, audiant, qui de manu Philiſtiim liberari deſiderant. *Ibid. lib. 5. c. 4.* Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi vocem confeſſionis non ſequitur pœnitentia? Signum veræ confeſſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione pœnitentiæ. Facite dignos fructus pœnitentiæ. Confeſſionis ornatum non recipit DEUS

ſine

ſine fructu afflictionis. *Marc. 11.* arborem ſine fructu maledixit.

V. Quos malè pœnitet, augent pœnam.

Non leguntur filii Heli patri monenti obſtitiſſe, non objurgationes riſiſſe, humiliati ſunt, ſed non verè. Quid indè ſecutum, dicat *S. Gregor. lib. 1. in 2. Reg. cap. 1.* Tanta fuit magnitudo culpæ illorum, ut & converſionis momenta non haberent, & à mortis ſuæ fovea nequaquam ſurgere poſſent; & qui iræ DEI pelagus biberant, in damnationis ſuæ cumulum haberent non ſolùm pœnam commiſſi ſceleris, ſed etiam vindictam contemptæ prædicationis.

Monuit *S. Ephrem Paræneſi 22.* Demus operam, ut digna pœnitentiæ opera agamus, ne duplicatum in his ſupplicium inveniamus, tanquam divinam gratiam aſpernantes, & beneficiorum ipſius non recordantes, quod ſcilicet nobis præſtet auxilia & tempus ad pœnitendum.

S. Hieronym. in Epiſt. ad Rom. cap. 12. Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus

pus dat alteri, ut fugiat, qui si fugere nolit, tantò fortiùs sagittâ configitur, quantò majori tempore arcûs intensio fuerat facta: ita planè DEUS, quò diutiùs pœnitentiam dignam expectat, eò severiùs punit.

VI. Raros verè pœnitet.

Ex allatis facilè intelligitur illud *S. Ambr.* dictum *lib. 2. de pœnit.* quamvis & ipse se explicat. Sic autem inquit: Facilius inveni, qui innocentiam servaverunt, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini affusio, ubi ipsius culpæ conjugalis usus est? Renunciandum seculo est, ipsi somno minùs indulgendum, quàm natura postulat, interpellandus gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur.

VII. Quos pœnitet, debent vitam emendare.

Et in tantum ista vitæ mutatio requiritur,

ritur, ut etiamsi peccata essent dimissa, parùm prodesset. *S. Bernard. Serm. 3. in Cant.* Si dixerit mihi JESUS, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantùm profeci? si rursus pedes meos, quos laveram, coinquinavero, nunquid aliquid lavisse valebit? Sordens omni vitiorum genere diu jacui in luto fæcis, sed erit sine dubio recidenti deteriùs quam jacenti. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: *Ecce sanus factus es, jam ampliùs noli peccare, ne quid deterius contingat tibi.*

VIII. Post pœnitentiam peccare est graviùs.

Et certè quid deteriùs contingit. Ita enim *Tertullianus de pœnit.* Non leviter in Dominum peccat, qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitendo renuntiâsset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eundem regressu suo erigit, ut denuò malus dæmon recuperatâ præ-

dâ

dâ ſuâ adversùs Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem dicendum, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & conſideratè pronuntiâſſe eum meliorem, cujus ſe rursùs eſſe maluerit. Ita qui per deliƈtorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo verò per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfacit, erit tantò magis peroſus DEO, quantò æmulo ejus acceptus.

IX. *Pœnitentia ad mortem dilata dubia.*

Jam etiam de illis, qui ad mortem pœnitentiam differunt, & confidunt ſe liberalibus teſtamentis, & aſſignatione Eleemoſynarum conſecuturos veniam, audiamus *S. Salvianum lib. 1. ad Eccleſiam*: Qui à malis aƈtibus tantùm morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à ſceleribus, ac per hoc neceſſitate excluſ⁹ eſt à vitiis, & tunc puto pec-

cat

cat, quando peccaverit, (id eſt, quando ceſſat peccare, quia non poteſt) quia quantùm ad animum nec dum deſiit, qui adhuc velit peccare, ſi poſſit. Non bonis itaque ſpebus innititur, qui ad hoc tantùm peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte, & ideò ſe evaſurum putat, non quia bonus, ſed quia dives ſit; quaſi verò Deus non vitam hominum quærat, ſed pecuniam, atque à cunctis malorum redimendorum ſpe agentibus accipere ſolos pro criminibus numeros velit, & corruptorum more Judicum argentum exigat, ut peccata vendat.

Et poſt pauca: Quodſi tanta fuerit ægrotorum incuria, ut valetudinis labem (id eſt pœnitentiam) uſque ad ultimos dies trahant, quid dicam, neſcio, quid promittam, penitùs ignoro. Revocare ab inquiſitione ultimi remedii periclitantes durum & impium eſt, ſpondere autem aliquid in tam ſera cautione temerarium.

S. Greg. Hom. 12. in Evang. Qui pœnitenti veniam ſpopondit, diem peccanti

ti craſtinum non promiſit. Ecce hunc ipſum diem, in quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus. *Orate, ne fuga veſtra fiat hyeme, aut in Sabbato;* ac ſi apertè dicat: Videte, ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quandò jam non licet ambulare.

X. *Peccatorum deliberatè admiſſorum difficilis venia.*

Illud verò eſt admodùm terribile, quod idem *S. Pater lib. 4. in Reg. cap. 2.* reliquit: Quibus peccata dominantur, per ſe ab eorum jugo liberari nequeunt: nam ſæpè ad Dominum cum precibus veniunt, ſed exaudiri non poſſunt. Divino ſiquidem judicio cum iis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cùm poſſent, non poſſent vitare, cùm volunt, & qui ſpontè incurrunt mala præcognita, fugere non poſſint experta.

Idem Paſtoral. p. 1. Hoc à præcipitatione lapſis per conſilium pereuntes differunt, quòd cùm à ſtatu juſtitiæ peccando concidunt, plerumque ſimul &

in

in laqueum desperationis cadunt. In quam rem servit illud *Tertull. lib. de pœnit.* Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat etiam præstare indignis, quod spopondit, & liberalitatem ejus faciunt servitium. Quodsi necessitate indulget, ergo invitus facit? quod dici non potest.

Itaque in spem pœnitentiæ non peccandum. Exempla suggerit non acceptæ à DEO pœnitentiæ S. Scriptura in Esau & Antiocho, & de hoc quidem 2. Mach. 9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* De Esau verò Hebr. 12. *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam.*

CAPUT VII.

GRAVE JUGUM SUPER OMNES.

I. Quia ad miserias nascimur.

SAnctus *Cyprianus lib. 1. de Bono patient. in proœm.* Omnes nos sumus

mus destinati ad gemitus totâ vitâ. *S. August. Soliloq. cap. 2.* Vita mea vita fragilis, vita caduca, vita quæ quantò magis crescit, tantò magis decrescit, quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit, vita fallax & umbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim tristor, nunc vigeo, jam infirmor, nunc vivo, statim morior, nunc felix appareo, statim miser; nunc rideo, jam fleo; sicque omnia mutabilitati subjacent, ut nihil unâ horâ in uno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat. Subsequitur his importuna mors, quæ mille modis miseros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus; hunc consumit fames, illum sitis extinguit; hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo; illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantùm repentino terrore vitam finire compellit. Et nunc super omnia magna miseria est,

quia

quia cum nihil ſit certius morte, ignorat tamen homo finem ſuum, & cùm ſe ſtare putat, colliditur, & perit ſpes ejus. Et hæc mala ipſi peccatis noſtris cumulamus.

II. Si non affligimur, malè agitur nobiſcum.

S. Gregor. 9. Epiſt. 39. Ego Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit. *Et 6. Epiſt. 27.* Ego fidenter dico, quia minus piè vivis, ſi minùs perſecutionem pertuleris. *S. Ambr. in Pſal. 118.* Fortaſsè cùm perſecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur. *S. Chryſoſt. Hom. 29. in Epiſt. ad Hebr.* Si flagellat Deus omnem filium quem recipit, qui non flagellatur, ſine dubio non eſt in numero filiorum.

Idem in Pſal. 125. Quemadmodum ſemina opus habent imbribus, ita nos lacrymis; & quemadmodum terra opus habet, ut aretur & proſcindatur, ita anima fidelis pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur durities, nè nimium effe-

ratur

ratur & exiliat: nam terra quoque, nisi diligenter colatur, nihil boni producit. *S. Gregor. 23. Moral. 15.* Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit.

III. Omnibus inimicus insidiatur.

S. Bernard. Serm. 1. de S. Andr. Habet nequissimus ille laqueos, habet & jacula, utpotè callidissimus venator hominum, solùm sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cujuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quibus tenuis est patientia; alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam illorum, qui in terra repunt, aut volitant juxta eam. His commovetur appetitus, qui velut effrenos equos emittit passiones, illis autem misera anima passim in præceps vehitur ac rapitur. *S. Ambr. lib. de Isaac & anima cap. 8.* Mali equi sunt iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas, interdum ipsi equi inter se diffident, & se invicem impediunt, & viam salutis nobis difficillimam reddunt.

Hinc *S. August. lib. 2. contra Julian, c. 10.* ait: Sine peccato ſemper eſſemus, ſi ſanaretur hoc malum concupiſcentiæ repugnantis legi mentis noſtræ.

V. Omnes ſe debent abnegare.

Lucæ 9. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum S. Thom. opuſc. 18. de perfect.* aſſerit, abnegationem ſui ipſius eſſe de neceſſitate ſalutis. Et *Guilelm. Eſtius c. 8.* Non conſilii ſunt verba hæc, ſed præcepti, omnes enim, qui volunt venire poſt Chriſtum, ſemetipſos abnegare, crucem ſuam tollere, & ita Chriſtum ſequi tenentur: in quantum autem hoc non facimus, peccamus.

VI. Prædeſtinatio Dei occulta.

S. Bernard. Serm. 37. in Cant. Conſilium hoc poſuit tenebras latibulum ſuum, & ſermo abſconditus eſt à nobis, ita ut nemo ſciat, ſi dignus ſit amore vel odio.

S. Aug. Soliloq. cap. 28. Omnes nos quaſi pannus menſtruatæ, de maſſa corrupta

rupta & immunda venientes, maculam immunditiæ noſtræ in frontibus portamus. Quare mundi eſſe non poſſumus, niſi tu, Domine, mundaveris, qui ſolus es mundus. Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inacceſſibilibus profundis ſecretis judiciorum incomprehenſibilium ſapientiæ tuæ, ſemper juſtorum, licet occultorum, ſine eorum meritis prædeſtinâſti ante mundum, vocâſti de mundo, juſtificâſti in mundo, & magnificas eos poſt mundum.

Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabeſcentes omnes ſapientes terræ. Et ego, Domine, hoc conſiderans expaveſco & obſtupeſco de altitudine divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo, incomprehenſibilia judicia juſtitiæ tuæ, quoniam ex eodem luto alia quidem vaſa facis in honorem, alia verò in contumeliam ſempiternam. Quos igitur tibi elegiſti de multis in templum ſanctum tuum, ipſos mundas, effundens ſuper eos aquam mundam, quorum nomina

numerúmque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas; qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata, quia post illa ferventiores evadunt. Cùm enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam, custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur.

Attamen mors peccatorum pessima, illorum inquam, quos, antequam faceres cœlum & terram, secundùm abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam, quorum dinumeratio nominum, & meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerâsti, & dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, (quia scilicet cum peccatis peragunt) ut si etiam ad cœlos usque ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sidera cœli collo-

cave-

caverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdentur.

VII. Signa prædestinationis non in omnibus reperiuntur.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mandata verò omnia colligit in duo, amorem scilicet Dei & proximi: prior in eo consistit, ut non peccemus, & bene faciamus, & de hoc jam egimus non uno loco superiùs; posterior, ut diligamus omnes, etiam inimicos, idque purè propter DEUM, qui amor non adeò frequens est. *S. Gregor. Hom. 38. in Evang.* Si quis quemlibet amat, sed propter DEUM non amat, charitatem non habet, sed habere se putat.

At quomodo amici & inimici propter Deum acquirendi sunt? interrogat *S. Chrysost. Orat. in Kalend.* & respondet, si non amicitias illas colligamus, unde pecunias corripere, convivia agitare, imperia consequi poterimus, sed illos prosequamur, qui mentem nostram moderari, præcipere honesta, peccantes in-

crepare, delinquentes arguere, supplantatos erigere, consilio ac precibus opem ferre, & ad DEUM adducere possunt.

Unde si inimicus tibi prosit ad salutem, imò prodest, quia saltem tibi mundum amarum reddit, ama illum. In quam rem facit monitum *B. Laurent Justin. de casto connub. cap. 6.* Nunquam sine patientiæ exercitio charitas esse solet. *Et de contemptu mundi cap. 19.* Flagelli eruditio cum patientia indubium prædestinationis agnoscitur esse præsagium; siquidem per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Oportet crucem tollere.

Sed quid sit ferre crucem, respondet *S. Basil. instit. Mon. cap. 3.* Paratum esse ad mortem pro Christo, & mortificare membra quæ sunt super terram, & pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est tollere crucem suam.

Et hoc quidem ad dilectionem
Dei spectabat.

VIII.

VIII. Etsi habuerimus signa prædestinationis, sumus incerti de perseverantia.

Multos in via salutis præcesserunt publicani & meretrices. Sed hoc verbis *S. Chrysostom. Hom. 40. ad pop.* eloquamur: Quid Manasse deterius? Deum tamen propitium habere potuit. Quid Matthæo deterius? & constitutus est Apostolus. Quid Paulo miserius? sed constitutus est Evangelii præco. Quot tales alias vis videre mutationes & quondam gestas & quotidie occurrentes?

S. Gregor. in Job. lib. 25. cap. 7. Occultum est judicium, quod piè super nos justèque disponitur, quomodo alii perdunt, quod tenere videbantur, & alii accipiunt, quod alii ex meritis perdunt; ut & qui stare videntur humano judicio, jam in conspectu Judicis non stent. Quis enim hominum æstimare potuisset, Judam vivendi sortem, etiam post ministerium Apostolatûs, amittere? & quis contra crederet, latronem causam vitæ in ipso articulo mortis invenire?

IX. *Judicium Dei rigidum.*

S. Chryſoſtom. in illa verba Apoſt. Salutate Priſcam. In illo die magno non ſolùm de his, quæ nos peccavimus, ſed & de his, ob quæ in alios ſententiam tulimus, omninò judicabit nos DEUS, & quod ſæpè naturâ leve peccatum eſt, hoc grave & incondonabile fit, dum peccans alium judicat. Fortè non ſatis claret, quod diximus, igitur clariùs dicemus. Peccavit aliquis, & alium idem committentem peccatum condemnavit, is in die illo valdè amaro non illam pœnam luet, quam peccati natura expoſcit, ſed majorem quàm duplicem vel triplicem.

Atqui teſte eodem *S. Patre lib. 1. de compunct. cordis*, ab hoc vitio neque Monachorum ullum facilè invenies liberum.

X. *Omnes oportet ante tribunal Dei Judicis comparere.*

O quàm tribunal horribile! Audiamus, quid de illo dicat *S. Ephrem Serm. de SS. Cruce*: Cœlum & terra tunc fuge-

re

re tentabunt, & quis poterit subsistere? sed quotus etiam in illo absolvetur? *Idem Sanctus in testamento* sic ipsum Judicem alloquitur: Ac licet judicium universæ terræ feceris, sicut gratia tua declarat ac postulat, non salvabitur unus ex millibus, & ex decem millibus non redimentur duo.

Sed nemo meliùs *S. Prophetâ Sophoniâ* diem illam nobis describet. Ita ille cap. 1. nomine Dei loquitur: *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Et paulo post: *Juxtà est dies Domini magnus, juxta est, & velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines, & ambulabunt ut cœci.* Quis hic status rerum ô Judex severe!

Similia *Ezechiel* capite 7. inclamat: *Finis venit, venit finis super te, & im-*

mittam furorem meum in te , & judicabo te juxta vias tuas , & ponam contra te omnes abominationes tuas , & non parcet oculus meus super te ; & non miserebor , sed vias tuas ponam super te , & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis quia ego Dominus. Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una , afflictio ecce venit , venit contritio super te , qui habitas in terra , venit tempus , propè est dies occisionis & non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam super te , & judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua , & non parcet oculus meus , nec miserebor , sed vias imponam tibi , & abominationes tuæ in medio tui erunt.

Quæ ibi hominum conditio enarrat *Amos 5. Dies Domini ista tenebræ & non lux , quomodo si fugiat vir à facie leonis , & occurrat ei ursus , & ingrediatur domum , & innitatur manu suâ super parietem , & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini & non lux , & caligo & non splendor in ea ?*

Iſaiæ 24. *Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam, & qui ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius.* Et capite 13. *Omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturientes dolebunt, unuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum.* Quid ibi miſer agam, quò me vertam?

Job. 4. *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur.* Et ſtatim: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea? De manè uſque ad veſperam ſuccidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*

Et poſteá: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi me innocen-*

tem ostendero, pravum me comprobabit. Cap. 12. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse novit & decipientem, & qui decipitur.* Cap. 14. *Quis est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere. Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus, quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Cap. 25. *Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis.*

Sed quale ipsum sit judicium *Ezech. 28.* audiemus de se loquentem Judicem: *Judicabo cum peste & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis, ignem & sulfur pluam super eum.*

Qualis Judex? Isai 59. *Indutus est justitiâ ut loricâ, & galea salutis in capite ejus, indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis.*

Quàm

Quàm meritò ille senex, de quo in *Vit. PP. lib. 4.* cùm ridentem quempiam vidisset, dixit: Coram cœlo & terra rationem reddituri sumus, & tu rides?

Quàm meritò *S. Ephrem cap. 1.* deflet peccata sua, cùm semel respexisset cœlum, dixit: Repentè cùm mihi terribilis illius adventus venisset in mentem, animo & corpore totus exhorrui, & contremuerunt omnia ossa mea, atque ita fractus ac perturbatus magno cum dolore cordis vim lacrymarum effudi, & cum gemitu dixi: Quomodo ego peccator in illa formidanda hora consistam? quomodo miser hœdus cum ovibus Christi? cùm sua Martyres ostendent tormenta, virtutes suas Confessores, quid ego ostendam, nisi pigritiam & negligentiam meam?

Jam verò quid *Bernard. lib. 2. de consid.* Leva oculos tuos, & vide regiones, si non magis sunt siccæ ad ignem, quàm albæ ad messem. Quàm multæ, quas putaveras fruges, diligenter inspectæ vepres potiùs apparebunt, imò ne vepres quidem, sed annosæ & veternosæ arbores.

Quid ampliùs fiet contra miſeros peccatores? Audi *Tertull. lib. de Monogamia*: Exurget Regina Carhaginis, & decernet in Chriſtianos. Aſſidebit & illi Matrona Romana quæ &c. Sunt &, quæ totâ continentiâ judicent nos, Virgines Veſtæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythici, etiam bovis illius Ægyptii Antiſtites de continentia infirmitatem Chriſtianorum judicabunt.

Quid de aliis virtutibus juſtitiâ, contemptu opum, abſtinentiâ &c. jam aliquis poſſit ſibi victoriæ promittere, diſcat ex *Salviano lib. 3. de gubern. Dei*: Præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud penè omnis cœtus Chriſtianorum quàm ſentina vitiorum? *Et rurſus*: Faciliùs invenias reos malorum omnium, quàm non omnium; faciliùs majorum criminum quàm minorum, id eſt, faciliùs qui & majora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantùm ſine majoribus perpetrârint. In hanc enim morum probroſitatem omnis redacta eſt plebs Eccleſiaſtica, ut in

cun-

cuncto populo Christiano genus quoddam sanctitatis sit minùs esse vitiosum. *Et postea* : De Christiano nobis nomine blandimur, cùm utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, qui à sancto nomine discrepamus.

Jam de pœnitentibus *Idem citati operis lib. 5.* sic ait : Pœnitentes taliter omnia fermè agunt, ut eos non tam putes anteà pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere, nec tum priùs pœnituisse, quod malè vixerint, quàm postea, quòd se promiserint bene victuros. Sciunt me verum loqui, & testimonium mihi etiam suâ conscientiâ dicunt.

Ingemiscit *Bernard. Serm. 1. de Convers. S. Pauli.* Amici tui, Deus, & proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt. Conjuràsse videtur contra te universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas in illa. Heu, heu Domine Deus? quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, qui videntur gerere principatum. Id-

Idcircò *Gregor. M. in Job. lib. 33. c.6.* adducto ex Job. 40. *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habebit fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus:* Quid hoc loco, *inquit*, fluvii nomine nisi humani generis decursio designatur? sed quasi ad ima descendendo pertransit. Quid autem appellatione Jordanis signatur, nisi qui jam imbuti sunt Sacramento Baptismatis? Behemoth iste à mundi origine exortum, vix paucis electis evadentibus, humanum genus ad ima defluens usque ad redemptionis tempora quasi quendam in se fluvium traxit. Alios sub Christianitatis nomine devorat.

XI. *Pauci salvantur.*

Quòd si attendamus paucitatem salvandorum, quis non percelletur? *Esdras lib. 4. cap. 18.* qui licet non oraculum sonet divinum, magnam tamen habet authoritatem, & à non paucis SS. Patrum ad firmanda dicta adducitur: Quomodo interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, unde fiat fictile, parvum autem pulverem,

rem, unde fiat aurum. Sic & actus præsentis seculi: multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.

Et *cap.* 9. Respondi, & dixi, olim locutus sum, & nunc dico, & postea dicam: Quoniam plures sunt, qui pereunt, quàm qui salvabuntur, sicut multiplicatur fluctus super guttam.

Ad priorem locum videtur respexisse S. *Macarius Hom.* 15. Quemadmodum aurum à copiosa arena dilutum invenitur, suntque grana exigua instar milii, sic quoque ex multis pauci sunt probati. Ad posteriorem *S. August. Serm. 32. de verbis Domini*: Aream video, & grana quæro, & vix videntur grana, quando area trituratur; sed venturum est, ut ventiletur. Pauci ergo sunt, qui salvantur in compararatione multorum periturorum.

Sed utrumque confirmabit *apud Baron. ad ann. 976. S. Nilus Abbas*, ubi asserit ex decem millibus vix unum salvari, & hanc fuisse doctrinam SS. Basilii, Chrysostomi, Ephremi, Theodori Studitæ, imò & Apostoli ipsius, nec non S. Evangelii: quia sicut nunc miseri-

cor-

cordia DEI ultra modum apparet, ita ſe oſtendet ſeveritas in judicio. *S. Bernard. in Epiph. Serm. 1.* Sicut benignitas, (in Nativitate Chriſti) apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem; ſimilem ita expectare poſſumus judicii diſtrictionem.

Et *Dom. 1. poſt Octav. Epiph. Serm. 1.* Veniet non exſpectantibus tanquam revertens à nuptiis, tanquam potens crapulatus à vino, verè ebrius & immemor miſerationum ſuarum, tunc enim quantum ad illos obliviſcetur miſeri DEUS, veniet in ira & indignatione tanquam furibundus.

Et *de verbis, Vidi Dominum Serm. 2.* Non diſcernet inter glebas, qui diſcrevit inter ſtellas. Examinabit certè argentum, qui ipſum quoque aurum probavit. Et de hac re omnes præmoniti videmur; cùm nobis dictum: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Atque ita paucos ſalvari ſuo illo tempore SS. Patres credebant, quos *S. Nilus* ad-

adduxit, quando inter Christianos maxima fervebat sanctimonia, quotus ergo demùm his corruptissimis temporibus evadat gehennam? Ausus est illis seculis *Tertullianus* Scapulæ viro Gentili ita Christianorum producere sanctitatem: Nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto unquam deprehendistis, nedum in sacrilegio; aliundene sumus noscibiles quàm de emendatione vitiorum pristinorum, in quibus jacebamus, quando eramus Ethnici? Quis hoc nostro seculo possit Judæos aut hæreticos objicere, quòd sicuti Christianus aliud negotium (id est crimen) non habeat nisi suæ sectæ, quem incestum, quem crudelem tanto tempore nemo probavit? Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro Deo vivi cremamur. *Et Apologet. cap. 39.* ita Ethnicos alloquitur: Dilectionis operatio notam nobis meruit penes quosdam; vide, inquiunt, quàm se diligunt, & pro alterutro mori sunt parati. *Et rursus*: Non priùs (apud Christianos) discumbitur, quàm oratio ad DEUM prægusts-

ſtetur ; editur, quantum eſurientes capiunt ; bibitur, quantum pudicis eſt utile ; ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum ſibi Deum ; ita fabulantur, ut quæ ſciverint DEUM audire &c.

At nos *S. Bernardus* ſi videret, fortè in illa erumperet, in quæ ſuo prorupit ævo : Non eſt niſi amor turpis in hoc ſeculo, neque fides ſecura, quia omnia, quæ ejus ſunt, contaminantur ſuperbiâ, avaritiâ, cupiditate, & luxuriâ. Receſſit enim lex à Sacerdotibus, juſtitia à Principibus, conſilium à ſenioribus, religio à Clericis, reverentia à ſubditis, amor caſtitatis à virginibus, pudicitia à conjugatis.

Neque hæc de Gentilibus dixit, ut illa blandientium ſibi explicatio ſuffocetur, paucos ſcilicet ſalvari, quia licet Chriſtiani plurimi evadant, multò tamen plures Gentilium pereant ; certè *& S. Bernardus* de Chriſtianis dixit, & *Salvianus lib. 3. de gubern.* Quid aliud cunctorum negotiantium vita, quàm perjurium ? quid aliud curialium, quam iniqui-

quitas? quid aliud officialium, quàm calumnia? quid aliud militantium, quàm rapina? De Christiano nobis nomine blandimur, cum utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, qui à sancto nomine discrepamus. Nam & ideò plus sub religionis titulo DEUM ludimus, quia positi in religione Christiana peccamus.

XII. Demùm sequitur æternitas.

Jam finita sunt omnia, transiit mundus, transiit vitæ nostræ via, æternos annos qui nos manent aut *semper* felices, aut *semper* maledictos expendamus. Nam hic tandem omnibus consistendum, & ubi constiterimus, ibi *semper* erimus. Erimus *semper*. Quidnam hoc *semper*? tamdiu, quamdiu DEUS erit DEUS. Et hoc pro uno mortali crimine! & in omni suppliciorum genere! in omni! Eheu miseri! in perpetuum miseri! sine fine! Mille, & mille, & mille transeunt anni, de suppliciis, de sensu doloris decessit nihil.

O æternitas! Cogito mille annos, co-

gito mille millies annos, tot annorum milliones cogito, quot arenulæ in universa terra, guttæ in mari, quot puncta in firmamento inscribi possunt, nihil cogitavi. Finiti ad infinitum nulla est proportio. O æternitas! ô æternitas! Quis par est ferendis æternis ignibus? *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Quis est hîc, qui dicet: quid hoc? *in secula seculorum*? quàm diu DEUS existet, quàm diu anima immortalis vivet. O finis sine fine! O mors omni morte gravior! semper pati tantos cruciatus, qui necare possint, nec mori posse. Præclusa omnis via, omnis spes, si in orcum decidisti. Apocal. 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam; desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.*

Quia, ut *S. Gregor. 4. Moral. 44.* ait, justum est, ut qui in suo æterno peccavit contra Deum, in DEI æterno puniatur. *& 5. Moral.* Cujus vita mortua fuit in culpa, ejus mors semper vivit in pœna. Cruciatur & non extinguitur; moritur & vivit; deficit & subsistit; finit semper & fine caret. Æter-

Æternitas eſt duratio ſemper præſens, & ſtabilis immutabilitas ſucceſſione carens. Eſt unum perpetuum hodie. Eſt ævum ævorum, quod non interit, ſed eodem modo ſemper ſe habet. Eſt ſtatus, cujus totum eſt eſſe ſimul. Eſt axis immobilis, circa quem volvitur rota hujus temporis. Eſt circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam. Hic ergo mihi, ſi peccavi, & non egi condignam pœnitentiam, in pœnis decurrendus, ſi egi benè, in gaudio tenendus. In hoc axe conſiſtendum, & vel quidem in lætitia inenarrabili, vel in tormentis, quæ intellectus non capit. Quàm diu? *ſemper.* Quando finietur? *nunquam.* Ignibus uretur miſer, & ſemper tolerabit, & ſemper futura tormenta metuet, & finem nunquam ſperabit. O vitam mortiferam! O mortem immortalem! Iſai. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

S. Auguſt. lib. de Spiritu & litera c. 56. cit. à Granat. in Duce pecc. Peccata detegentur, rei punientur, & hoc totum eſt perenne: quiſquis enim ad tormenta ibit,

am-

amplius non exibit, dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cœcitatis intùs obscurabit.

Quid ageres nunc pro salute tua, Juda Ischarioth, si tot annorum tibi daretur spatium ad pœnitendum, quot tu, ô peccator, annis peccas? Vereor, ne tibi occinat ex Isai. 14. *Infernus subter te conturbatus est, in occursum adventûs tui suscitabit tibi gygantes. Omnes Principes terræ* (illius scilicet maledictæ,) *surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum. Universi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

Et tu Cain, qui antiquissim' es peccator, & in suppliciis quotam æternitatis partem absolvisti? Nullam, nullam; nulla hîc prima, nulla ultima, infinita est. Lamentaris illis verbis Job. 16. *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me, hostis me terribilibus*

libus oculis intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum tradidit me. Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, posuit me quasi in signum, circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit & effudit viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

Et tu, formose Absolon, & tu, consultissime Achitophel, & tu, voluptuose Epulo, quando finietis vestra supplicia? Job. 19. ejulat quisque vestrûm: *Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. Iratus est contra me furor meus, & sic me Deus habuit quasi hostem suum. Simul venerunt latrones ejus,* (dæmones) *& viam sibi fecerunt per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me; dereliquerunt me propinqui mei, & qui noverant me, obliti sunt mei.*

 Sed

Sed jam oculos levemus in cœlum, audiamus, quid inde ad nos veniat: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe.*

Sed quid ſi oranti pro nobis alicui Sancto ibidem dicatur: Jerem. 10. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Et c. 14. *Noli orare pro populo iſto in bonum, cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & ſi obtulerint holocautomata, non ſuſcipiam ea.* Et cap. 15. *Hæc dicit Dominus; Qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem.*

Miſericordiam, miſericordiam Domine? Verùm convertamur quàm primùm ad Dominum noſtrum, ſcindamus corda noſtra in fletu & planctu, induamur ſacco & cilicio, emendemus

in

in meliùs, quæ malè egimus; multæ est misericordiæ Dominus; sed non differamus. Apoc. 10. *Et Angelus quem vidi stantem super mare & terram, levavit manum suam ad cœlum, & juravit per Viventem in secula seculorum, qui creavit cœlum & ea, quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ in ea sunt, quia tempus non erit ampliùs.* Sed quid? Contingit, quod scripsit *S. Ephrem Serm. de vita ac morte uniuscujusque*: Et ista omnia novimus ac scimus, quodque gravius est, sponte interim peccamus; & propterea nullam à DEO veniam consequimur, quia non ex ignorantia sed scientes erramus. Scripturas quidem Sacras audimus, & collaudamus, sed quæ dicuntur non facimus. Quare hortor & obsecro, ut non solùm auditores simus, sed & factores.

Saltem subinde in nos redeamus, & nos aliquando recolligamus, pro quo serviet sequens Methodus.

METHODUS
SESE
MENSIBUS SINGULIS
RECOLLIGENDI
PATRIBUS-FAMILIAS
præſertim in Republica
occupatis accommodata.

Recollectionis menſtruæ motivum.

RErum ſuarum admodùm incurius, & damnorum temporalium periculis expoſitus cenſeretur ille Paterfamilias, qui non ſemel, ſaltem in menſe quolibet, rationes accepti & expoſiti diligenter recognoſceret, & modum ſtatueret lucra neglecta, damnáque incurſa reſarciendi, aut ſaltem exinde evitandi. Multò autem periculoſiùs ageret, & animæ ſuæ incurius magis cenſeretur homo ille, qui non ſaltem pari diligentiâ ſingulis menſibus ſemel conſide-

ſideraret, quæ in negotio æternæ ſuæ ſalutis damna fecerit, lucráque neglexerit, ſtatuer tque exinde cautiùs utiliusque operari; ut tandem fiat arbor digna paradiſo , adferens fructus duodecim, *per menſes ſingulos reddens fructum ſuum*, (Apoc. cap. 22.) id eſt, ſtatui, in quo DEUS ipſum collocavit, correſpondentem.

Quædam pro recollectione utiliter faciendâ notanda.

I.

CUm homo in aliquo Reipubl. officio conſtitutus duplicem gerat perſonam, privatam ſcilicet, quâ ſibi, & publicam, quâ aliis vivit; conſequenter talis in qualibet recollectione menſtrua, ſe reflectere debet, an omnes utriuſque perſonæ numeros (quorum rationem DEUS ſuo tempore ab ipſo exiget) impleverit. Siquidem ſcire debet, ſe licet domi vir bonus ſit, non tamen eo ipſo bonum Principis vel Reipublicæ eſſe miniſtrum, & è converſo.

2. Perfectio utriuſque iſtius perſonæ

consistere videtur in tribus hisce punctis: 1. Ut homo nihil committat sibi prohibitum, aut omittat sibi undecunque præceptum. 2. Ut ea omnia, quæ ei agenda vel omittenda incumbunt, obeat eâ perfectione, quâ ab ipso fieri possunt. 3. Ut illa peragat vel omittat præcisè vel saltem primariò, quia DEUS illa mandat, vel saltem taliter ab ipso fieri desiderat.

Faciendæ recollectionis tempus.

SI sub finem mensis elapsi vel initium secuturi facturus est Sacramentalem Confessionem v. g. primâ Dominicâ mensis ad lucrandum Indulgentias plenarias, quæ tali die semper obtineri possunt in quovis templo Societatis JESU, vel Confraternitate S. Rosarii, &c. utiliter & compendiosè menstruam recollectionem faciet unà cum examine conscientiæ, quod istâ ratione domi accuratiùs faciet, ad confessionem majori cum integritate & fructu peragendam, alioquin recollectio hæc est peragenda ulti-

ultimo die menſis , vel ſi in illum incidat aliquod impedimentum, die immediatè illum præcedente vel ſubſequente. Si enim non ſervetur dies ſtabilis, periculum erit ſenſim recollectionem diutiùs differendi, ſubinde etiam negligendi, & tandem penitus omittendi.

Recollectionis faciendæ praxis.

DIe faciendæ recollectioni deputato ſumatur aliquod tempus à negotiis magis vacuum , occluſóque cubiculo, ac collocatis ſupra menſam calamo, chartâ, & atramento, ut mox annotari poſſit, ſi quid in recollectionis decurſu occurrat (ne poſtea memoriâ excidat) annotandum.

1. Gratias agat DEO, quòd ipſum menſe elapſo non ſolùm in vita conſervaverit, ſed etiam multa animæ corporiſque pericula ab eo averterit, & multa beneficia , etiam ei ignota , contulerit; gratiamque petat cognoſcendi , quâ ratione iis fuerit uſus, & uti debuerit, his, vel ſimilibus verbis:

OMnipotens sempiterne Deus! sis in æternum benedictus, quòd me ex nihilo creatum, & dilecti Filii tui sanguine ac morte redemptum hucusque dando spatium pœnitentiæ in hac vita conservaveris, & multa beneficia auxiliáque, etiam mihi ignota, per vitam meam universam, præsertim mense hoc elapso, contuleris. Utinam illis usus fuissem ad gloriam tuam, salutémque meam, ad quam procurandam tu illa mihi contulisti. Largire nunc mihi cœlestе lumen, ut videam, in quibus hoc elapso mense Divinæ Majestati tuæ displicui, & gratiam exinde tibi usque in finem vitæ meæ perfectiùs serviendi.

Mox sedens vel deambulans secum recognoscat, an præstiterit ea, quæ se præstiturum mense elapso proposuerat. Si quæ neglexit, sequenti mense se ea impleturum proponet; vel si res ampliùs integra non est, aliquod aliud opus bonum sequenti mense peragendum substituet. 3. Recollectionem aggredietur hoc modo:

PUN-

PUNCTUM I.

I.

COnſiderabit, an probabiliter confidere poſſit, ſe eſſe in gratia Dei, ita, ut ſi mox moriendum foret, eſſet in DEI judicio cum ſpe æternæ ſalutis comparìturus. Quodſi excuſsâ aliquantulum conſcientiâ ſentiat ſe unius, vel etiam plurimorum peccatorum mortalium reatu gravatum, in genua provolutus conetur elicere contritionem cum propoſito peccata illa, quàm primùm commodè fieri poterit, clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi, & exinde relapsûs pericula vitandi, quantum illa, ſalvis ejus officiis, & ſine gravi incommodo, vitari poſſunt, hac ferè formulâ:

Alleget Phariſæus ſua merita ad captandam apud homines gloriam, ego cum publicano fateor mea ſcelera ad impetrandam tuam gratiam, ſuper omnia amande, ſimulque ſumme metuende DEUS! Deteſtor proinde incredibilem fatuitatem meam, quà auſu-

fui mandata tua contemnere, non considerans, quàm terribile ſit incidere in manus DEI viventis. Accuſo ingratitudinem meam, quâ amorem meum, tot titulis tibi debitum, à Te ad viles & omni amore præ Te indignas creaturas converti. O utinam morte meâ ea, quæ tam flagitiosè egi, reddere poſſem infecta! libenter illam ſubirem, exindéque ſubibo potiùs, quàm ut à Tuo amore, ſervitióque per letbale ullum peccatum recedam. Tibi ſoli peccavi, mea maxima culpa.

2. Si conſcientia illum de mortali delicto non arguit, vel poſtquàm peccata ſua dicto modo fuerit deteſtatus, perget (ſedens vel deambulans) conſiderare culpas elapſo menſe à ſe tam in Republica, quàm domi commiſſas.

IN PUBLICIS.

Ommissione.

PErpendet, an ludendo, otiando, diutiùs dormiendo, minùs utilibus actionibus ex sensualitate, curiositate, laboris sibi incumbentis tædio se se occupando, distulerit promovere actiones præsertim miserabilium personarum, quibus omnis expeditionis dilatio gravis est An similibus de causis neglexerit actiones proponendas inspicere, earumque merita eo, quod res quælibet exigit, studio examinare, ut solidè juxta æquitatem posset sententiam suam ferre. An respectu humano, aut aliâ aliquâ passione inordinatâ spei, timoris, odii, amoris præpeditus omiserit in concilio proferre ea, quæ pro justitia, innocentia, religione, bono Principis publico utiliter à se dici posse credebat.

Commissione.

An ex æmulatione, obstinatione, ambitu impediverit bonorum effectum consiliorum. An seminârit odia, factiones, diffidentias, calumnias. An presserit dignos Reipublicæ officiis viros sibi invisos. An ut placeret Principi, vel summo Magistratui, pauperes exactionum pondere afflixerit. An justitiam tam distributivam quàm commutativam torserit pro amico, vel ratione sui commodi iniquè illam protraxerit. An aulicis duplicitatibus simplices traduxerit, illísque nocuerit. An publica Principis emolumenta justa suis postposuerit. An servaverit accuratè juramentum Principi præstitum. Expedit autem illud (etiamsi memoriâ recalleat) legi, & benè considerari, unà cum instructione suo officio propriâ.

IN

IN BONIS ET DOMI.

Ommissione.

COnsiderabit, an omiserit, cùm facilè potuisset, procurare, ut domestici, aliique ejus gubernationi subjecti D E I mandata, Ecclesiæque præcepta servarent. An eos sine necessitate occupandi causa fuerit, ut diem festum, servilia opera faciendo, aut sacrum omittendo, violaverint. An distulerit, aut etiam neglexerit satisfacere obligationibus, quas contraxit ex ære alieno Confessarii, aliûsve potestatem illam habentis mandato, propriis promissis DEO vel homini factis, aut bonis propositis, quæ aliquando religiosè concepit, & fors etiam incepit utiliter practicare. An denique omiserit præstare ea, quæ probabiliter judicabat sibi à Deo inspirari.

Commissione.

An in prosecutione objecti privati, sibique utilis, vel delectabilis non præjudicaverit tertio. An non præbuerit vel positivè scandalum, vel negativè, non dando bonum exemplum, ubi illud dare tenebatur ad mala proximi avertenda, vel bona procuranda. An subditos nimiis operis & tributis vexaverit. An horum etiam sibi debitorum nimis rigidus exactus fuerit. An decimas, vel alia spectantia ad Ecclesiam, vel cultum divinum ad se traxerit, vel ab officialibus suis id fieri permiserit. An curam habuerit, quantum ad ipsum attinebat, Religionis & cultûs divini, bonorumque morum in suis bonis, atque inprimis justitiam suis administrari, non nimis diu carceribus emacerari suos subditos, matrimonia non impediri, pupillos & viduas non vexari sed juvari mandaverit, & efficaciter procuraverit.

PUNCTUM II.

1.

IN rebus, alioquin licitis, poteſt quis peccare (licet, per ſe loquendo, non niſi venialiter) excedendo in proſecutione voluptatis ſeu delectationis, quæ percipitur in uſu illarum rerum , puta, cibi, potûs, conjugii, lusûs, aliisve relaxationis, dignitatis, honoris, veſtium, opum &c. Conſiderabit proinde, an in iſtis permiſerit abripi ſe nimio voluptatis affectu, & cogitabit de praxi ſenſim ſe concludendi intra limites decentiæ & rectæ rationis quoad temperantiam, modum, tempus in talium rerum uſu; & ſi quid ſpeciale ſtatuerit, annotabit.

2. Conſiderabit, an non poſſet majore cum perfectione obire actiones, quas ex obligatione , aut devotione peragere ſolet ; v. g. cum majori decentia ſacrificio Miſſæ intereſſe, cnm majore perfectione ſtatas ſuas preces perficere, cum majori circumſpectione in audientiis, quas apud Principes habet, vel aliis ipſe ex-

exhibet, conviviis, aliísque hominum congressibus sese gerere; & si quid speciale statuendum occurrat, annotabit.

PUNCTUM III.

QUia actionum humanarum moralitas commensuratur apud Deum juxta qualitatem intentionis, quâ obeuntur, considerabit, quâ intentione peragere sua soleat.

1. Circa actiones corpori debitas, cibum, potum, vestitum, somnum, relaxationes, &c. an illa obeat sistendo in sola sensuum oblectatione, quod est animale; an verò ob honestatem cuilibet tali operi intrinsecam, quod est rationale; an denique quia naturæ nostræ auctor vitæ ac valetudini conservandæ talia à nobis fieri vult, quod est in genere perfectum.

2. Circa actiones, quas domi & foris ex obligatione, vel liberâ suâ designatione obit, v. g. convivia, famulos, fami-


miliam, equos, currus, ſuppellectilem, activas, paſſivasque viſitationes, externam pompam, in conciliis aliisque publicis officiis adimplendis diligentiam, in operibus miſericordiæ aut juſtitiæ exercendis benignitatem, in religionis, aliarumque virtutum exercitiis (præſertim quæ in hominum oculos incurrunt) aſſiduitatem, atque hinc conſiderabit, an iſta obeat ex vanitate, quod eſt vitioſum, opera etiam optima depravans; an ex conſuetudine, naturali inclinatione, ſine ulla reflexione aut intentione, quod eſt otioſum, opera ferè relinquens indifferentia; an ex motivo decentiæ, quod eſt laudabile, opera morali bonitate exornans; an denique, quia DEUS illa mandat, vel in illis ſibi complacet, quod eſt perfectum, opera honeſta (in peccatore quidem de congruo, in juſto autem infallibiliter & de condigno) gratiæ divinæ æternæque gloriæ meritoria reddens. Id verò vel maximè diſquirat, num pallio religionis, ſeu prætensâ ratione ſtatûs texerit ornâritque privatam ſuam ambitionem, utilitatem vel commo-

moditatem, an autem potiùs hanc publico Religionis, Principis & ſtatûs bono voluerit ancillari, utrumque autem ad ultimum omnium noſtrarum actionum finem, id eſt, gloriam DEI fideliter direxerit; adeoque an etiam illatas ſibi ut privato injurias publicè vindicârit, aut condonârit amore potius DEI, quàm animo diſſimulandi ex ſui privati ſtatûs ratione.

His perpenſis concipere conabitur deſiderium omnia ſua exinde quàm optimâ intentione perficiendi, & aſſecurandi perſeverantiam ſeu gratiam finalem, quàm nemo ita mereri poteſt, ut infallibiliter illam ſit conſecuturus, cùm nemo tam juſtus ſit, quin poſſit adhuc in peccatum cadere, & æternùm perire. Unde *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus,* (*Proverb. 28.*) & *qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* (*1. Corinth. c. 10.*) Igitur nemo debet ſibi ob opera ſua bona ſalutem æternam certò polliceri, vel ob opera mala de illius conſecutione deſperare; ſed fiduciam ſuam fundet 1. ſupra Chriſti Redemptoris noſtri

mor-

mortem & merita , quæ nobis copiosè & valdè efficaciter applicantur in rectâ & religiosâ frequentatione Sacramentorum, præsertim Communionis, in qua nobis datur Christi Corpus & Sanguis in æternæ salutis pignus , Christo ipso promittente: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* (Joan. c. 6.) 2. supra intercessionem Sanctorum , præsertim Beatæ Virginis Deiparæ, quæ misericordiæ mater est, & peccatorum refugium, quam proinde affectu filiali prosequi nos oportet , ut ipsâ intercedente fiamus *cohæredes Christi* (ad Rom. c. 8.) Filii ejus naturalis, jubemurque assiduè illam rogare, ut finalem gratiam nobis impetret , cùm Angelicam salutationem sic concludimus: *Ora pro nobis miseris peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.*



RECOLLECTIONIS
Conclusio.

His abſolutis, in Calendario inſpiciet, qualia feſta in menſem ſequentem incidant, & proponet menſe illo perficienda aliqua opera religionis, mortificationis, miſericordiæ, alteriusve virtutis, ſtatui ſuo temporíque accommodata, ſpecificando dies & occaſiones, in quibus credit ſe illa quàm convenientiſſimè peragere poſſe, illíſque in charta annotatis, gratiam DEI implorabit ad illa omnia quàm perfectiſſimè adimplenda, idque in hunc ferè modum:

OMnipotens ſempiterne Deus! ſub cujus nutu vitæ, mortíſque meæ momenta decurrunt! ecce

ce

ce pauca aliqua, eáque Divino tuo conſpectu indigna deſideria concepi, menſe ſequenti Tuæ Majeſtati pro modulo ſerviendi. Suſcipe illa eâ benignitate, qua duo minuta, quæ pauper vidua in gazophylacium miſerat, (Marci 12.) *approbâſti, & da gratiam vel illa, quæ concepi, ad ſalutem meam gloriámque tuam fideliter adimplendi, atque cum meritis unigeniti tui Filii ea ſalubriter uniendi. Inter peccandi pericula, quæ fortaſſis multa hoc inſtante menſe me cingent, me in amore tuo immobilem cuſtodi. Et ſi à te fortaſſis ſtatutum eſt, ut hoc menſe anima mea ex hoc corpore migret, fiat, O Deus, voluntas tua. Solummodò, quoniam neminem vis perire, ſed omnes ſalvos facere, illam admitte ad gloriam, ad*

quam

quam eam creâsti, ut ibi te amet, laudet ac glorificet in æternum, Amen.

Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. (*Sapient. c. 6.*)

ACTUS CONTRITIONIS

MANE ET VESPERE EXERcendus ad obtinendam remissionem peccatorum.

DOmine mi, Jesu Christe, verus Deus & homo, Creator & Redemptor meus: Quoniam tu es qui es, & quia amo te super omnia:

Pœni-

Pœnitet me ex toto corde, quod te offenderim:

Et propono firmiter nunquam amplius peccare, & omnes peccandi occasiones devitare, itemque confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi injuncta fuerit. Condono simul amore tui ex corde omnes offensas, quibus læsus forte sim à quovis proximorum meorum. Et si quispiam habeat contra me, unde jure coram te queratur, propono ex animo, me proxima occasione ipsi satisfacturum.


Omnia denique opera mea, & afflictiones, ac totam vitam tibi offero in satisfactionem meorum peccatorum.

Et quemadmodum suppliciter à te peto, sic confido in bonitate tua,

tua , & misericordia infinita, quod ea merito tuæ pretiosæ passionis & mortis mihi remissurus , & gratiam largiturus sis ad me emendandum, & ad perseverandum usque ad mortem, Amen.



SUM-



SUMMARIUM HUJUS OPUSCULI.

CAPUT I.

Grave Jugum ſuper Seculares.

CAPUT II.

Grave Jugum super Ecclesiasticos.

CAPUT III.

Grave Jugum super Prælatos in Ecclesia.

CAPUT IV.

Grave Jugum super omnes servos DEI.

7. Si

CAPUT V.

Grave Jugum super Peccantes.

CAPUT VI.

Grave Jugum super Pœnitentes.


CAPUT VII.


Grave Jugum ſuper Omnes.


10. Om-

FINIS.










Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
04864

